






SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

DE

SAPIENTIÆ DOCTORIBUS

QUI, A CICERONIS MORTE AD NERONIS PRINCIPATUM,

ROMÆ VIGUERE.

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

C. AUBERTIN,

LICENTIATUS, SCHOLÆ NORMALIS QUONDAM ALUMNUS,

IN LYCÆO ENGOLISMENSI RHETORICÆ PROFESSOR.

PARISIIS,

APUD E. BELIN BIBLIOPOLAM,

VIA DICTA DE VAUGIRARD, 52.

APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM,

VIA DICTA DES GRÈS-SORBONNE, 7 (PRÈS LE PANTHÉON).

—

1857

à Monsieur Bouillier

Directeur de l'École Normale

Supérieure

hommage respectueux

et reconnaissant

A Hubert[illegible]

DE

SAPIENTIÆ DOCTORIBUS

QUI, A CICERONIS MORTE AD NERONIS PRINCIPATUM,

ROMÆ VIGUERE.

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

C. AUBERTIN,

LICENTIATUS, SCHOLÆ NORMALIS QUONDAM ALUMNUS,
IN LYCÆO ENGOLISMENSI RHETORICÆ PROFESSOR.



PARISIIS,

APUD E. BELIN BIBLIOPOLAM,
VIA DICTA DE VAUGIRARD, 52.

APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM,
VIA DICTA DES GRÈS-SORBONNE, 7 (PRÈS LE PANTHÉON).

1857.

(762) SANCTI-CLODOALDI. — EX TYPIS VIDUÆ BELIN.

DOCTISSIMO AC DILECTISSIMO MAGISTRO SUO,

A. BERGER,

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI AGGREGATO,
OLIM IN NORMALI SCHOLA,
NUNC IN LYCÆO CAROLI MAGNI ET IN SORBONA PROFESSORI.

OPUSCULUM HOC MERITO GRATUS DEDICAT.

C. A.

DE SAPIENTIÆ DOCTORIBUS

QUI, A CICERONIS MORTE AD NERONIS PRINCIPATUM,

ROMÆ VIGUERE.

I

PROŒMIUM.

Quid in hoc libro quærere instituerimus.— De studio sapientiæ apud Romanos, vivo Cicerone; quid Ciceroni debuerit. — Quantum, et quibus de causis, exstincto Cicerone, profecerit. — Latina philosophandi ratio : quomodo Romani Græcorum doctrinam sectati sint.

Quum ætas ea, quæ Annæum Senecam, A. Persium, mox Epictetum, aliquantoque post Marcum Aurelium tulit, satis longo annorum interjecto spatio, a Ciceronis temporibus dirimatur, placet quærere (quod minus explanatum est nec vulgo notum) quid, intra illud pæne unius seculi intervallum, in philosophia tum effectum sit, cum nihil agere homines videbantur et summa quiescebant ingenia [1]. Nempe illi ipsi clarissimi viri, sapientiæ doctores et antistites, quos postea, felicissimo proventu, Roma effudit, diligentius pernoscentur, manifestiusque apparebit quantum a Cicerone differant, si prius cognitos habuerimus magistros quorum disciplina sunt eruditi; quoniam omnis doctrinæ processus perpetua quadam serie ac junctura inter se continuantur, nec quidquam fit adeo repentinum ac sua sponte quod non aliunde ducat originem.

Primum est ut paucis repetamus qui primi fuerint ortus sapientiæ apud Romanos : quanquam res ipsa

[1] Occisus est M. Tullius anno ante Christ. 43. Vigebat Seneca anno post. Chr. fere 50.

non lucis eget, et multis locis a M. Tullio est illustrata [1].

De studio sapientiæ apud Romanos, vivo Cicerone.

Constat quidem Scipionem, Lælium, multosque civitatis principes, vel ante Ciceronis ætatem, philosophiæ studuisse; nemo etiam nescit hoc studium, vivo Cicerone, magno in honore fuisse apud optimum quemque; ideo nomina sæpius celebrata iterum proferre supersedebo : jam enim in urbem ingens magistrorum multitudo confluxerat, quorum alii Græcorum inventa in scholis, admisso populo, edisserebant, pars in domum optimatum recepti, et in eorum familiam vel in cohortem amicorum adscripti, patronum ipsum et ejus liberos umbratili et privata quadam disciplina instituebant. At hoc præcipue in illis temporibus notandum est atque animadvertendum, philosophiam tunc scientiam fuisse vere græcam, græce tantummodo scriptam, græcisque verbis a græcis magistris traditam. Erat enim quasi ars peregrina adventitiaque doctrina, quæ a plerisque contempta aliquos ad se rapiebat, sive quia placebat otiosis, sive quod non inutilis videbatur acutis quibusdam et ingeniosis. Itaque, qui maxime ejus amore ardebant, Athenas aut Rhodum se conferre solebant, pulcherrimum illum doctrinæ fructum in ipso solo uberrimo decerpturi.

Tum demum M. Tullius, maximus romanæ laudis amplificator, consilium iniit philosophiam latinis litteris illustrandi. Neque solum ad id sese accinxerat ut doctrinam e græco in latinum verteret, aut res abditas et in angulis magistrorum reconditas populo exhiberet, sed præcipua illi cura fuit, ut Græcorum inventa Romanorum ingenio, moribus, institutis, eloquentiæ accommodaret, studiumque ortum aliunde in civitatem adscisce-

[1] Vide præsertim Tusc. quæst., l. III, c. 3.

ret. Scripserant quidem latine, jam eo tempore, vel ante ipsum Ciceronem, de philosophia Amafinius et Rabirius, epicurei homines; etiam Lucretius ejusdem magistri doctrinam versibus attigerat : at hoc Lucretio obfuit quod erat poeta, illud vero Amafinio Rabirioque quod eorum scripta, vulgari plebeioque sermone infecta, brevi obsoleverunt, simul quia Epicuri verba verbo reddidisse potius videntur quam res ipsas imitati et libere commentati [1]. At Cicero, quod isti inchoaverant rursus suscepit, et adhibita ratione et via, constanter ac præclare exsecutus est. Parens igitur ille vere dici potest romanæ sapientiæ, quod primus omnium latine philosophandi viam aperuit [2].

Cur exstincto Cicerone, philosophia magis ac magis valuerit

Nunc dicendum est quid, exstincto Cicerone, aggressi sint homines. Duæ res antea plurimum valuerant quominus Romani sapientiæ studio acriter incumberent; quia plerique eam stulte contemnebant, simul quod parum illis vacabat fortem ac strenuam operam doctrinæ navare. Et ipse M. Tullius documento sit, qui non prius de pertractanda in scriptis philosophia cogitavit, quam a republica administranda exclusus in ingratum otium confugisset. Illi res est subcesiva, philosophari; hoc agit, cum nihil agit; rursus, ubi, paulisper pacatis bellorum civilium fluctibus, vela eloquentiæ expandere po-

[1] « Nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant; nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi, nec disserendi putant. » —Acad. II, l. I, 2. — De *physicis* scripserat Amafinius. (*Ibid.*) Mirum est quod Cicero nihil de *Lucretio* dixit, videlicet quia et Epicureus erat et poeta.

[2] « Philosophia jacuit usque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen latinarum litterarum. » (Tusc. I, 3.) — « Itaque mihi videris latine docere philosophiam, et ei quasi civitatem dare : quæ quidem adhuc peregrinari Romæ videbatur, nec offerre sese nostris sermonibus. » (De fin., III, 12.) — « Magnificum illud etiam, romanisque hominibus gloriosum, ut græcis de philosophia non egeant; quod assequar profecto, si instituta perfecero. » (*De divin.*, II, 2.)

test, relictis libenter Academiæ umbraculis, in æstuosas Curiæ et Rostrorum conciones, redivivo impetu, emicat[1]. Si liber in libera patria degisset, non *Tusculanas quæstiones* conscripsisset; si ab illo senatus et fori regno, quod exercebat, non esset armorum vi dejectus, non in libris, ut ait, concionatus esset, nec a philosophia doloris medicinam petiisset [2]. Quid igitur de cæteris existimandum, cum vir ille, tantæ humanitatis, eo fuerit animo erga studia doctrinæ? Non ergo mirum est, si eam in numero leviorum artium et græcularum nugarum vulgus posuisset, neque si, vel multi ex honestis ac bonis viris et magnifice de republica meritis, parum eos constanter, parum graviter se gerere censerent, qui quæstiunculas otiosas inanesque disputationes tractarent [3]. Quorum pravissimam opinionem penitusque in animis insitam Cicero in *Hortensio* oppugnabat, et quoties de iis rebus ad scribendum se contulit, toties metuere videbatur ne apud populum male audiret, et philosophiæ causam, simul ipse suam, egit[4]. At paulatim insana illa odia deferbuere, et prisca morum de-

[1] « Ego autem (dicam enim, ut res est), dum me ambitio, dum honores, dum causæ, dum reipublicæ non solum cura, sed quædam etiam procuratio multis officiis implicatum et constrictum tenebat, hæc inclusa habebam; et, ne obsolescerent, renovabam, quum licebat, legendo. Nunc vero et fortunæ gravissimo perculsus vulnere, et administratione reipublicæ liberatus, doloris medicinam a philosophia peto, et otii oblectationem hanc justissimam judico. » (Acad. II, l. I, 3.) — « Philosophiam nobis pro reipublicæ procuratione substitutam putamus..... Nunc quoniam de republica consuli cœpti sumus, tribuenda est opera reipublicæ, vel omnis potius in ea cogitatio et cura ponenda : tantum huic studio relinquendum, quantum vacabit a publico officio et munere. » (*De div.* II,2.)

[2] *De nat. deor.*, I, 4. — *De officiis*, II, 1. — « Quid possum, præsertim nihil agens, agere melius? » (Tusc. II, 1.)

[3] « Sunt enim multi qui omnino græcas non ament litteras; plures, qui philosophiam; reliqui, etiamsi hæc non improbent, tamen earum rerum disputationem principibus civitatis non ita decoram putent. » (Acad. I, l. II, 2.)

[4] *De finib.*, I, 1. — *Tusc.* II, 2. — Et omnia, si vacat, omnium librorum ejusdem pervolve procemia.

fluxit rusticitas, augescente in dies liberalium artium amore. Quod ad efficiendum simul contulere et ipsius Ciceronis libri, summorumque virorum exempla, et sapientior ac politior in dies hominum adolescentium animus, denique gravissima rerum mutatio quæ bellis civilibus et externis finem imposuit.

Postquam res urbanæ mutatæ sunt et in novam civitatis formam redactæ, nihil jam erat quod optimus quisque sapientiæ anteponeret. Nam illæ imperatoriæ laudes et togata eloquentiæ gloria, quibus olim animam impendere decorum fuit, simul conciderant, et in locum bellorum ac seditionum, tamdiu strepentium, subierat alia vivendi conditio, plurimum otii, summa curarum quies, et animorum remissio. Igitur, quod olim identidem arreptaque occasione fiebat, tunc in morem quotidianum et in ipsam vivendi rationem cessit : perpetuum otium perpetuo sapientiæ studio addixere. Ut Seneca de M. Marcello narrat, qui cum Mitylenis exsularet, bonis artibus animum reficiebat, ita magni et honesti viri, publicis muneribus exclusi, et urbe in ipsa velut in finibus peregrinis exsulantes, secesserunt ad colendum animum tractandamque morum scientiam [1]. Quid enim reliquum erat quod eos abduceret; quid quod clara ingenia virtutesque egregias, spe ingentis præmii proposita, alliceret? Nempe, de stillicidiis causam agere, aut superba potentium limina obsidere, aut gulæ et ganeæ se dedere [2]? Inter omnia strata humi ac perculsa, stetit unum sapientiæ studium; hoc animos erexit ac sustulit; hoc pro gravissimo maximique momenti negotio fuit; huic cura præcipua, summus honor habitus;

[1] Cons. ad Helviam, 9.

[2] « Pulsare superbas potentiorum fores, digerere in litteram senes orbos, plurimum in foro posse, invidiosa potentia ac brevis est, et, si verum æstimes, sordida. » Ep. LXVIII, 15.

nemo, nisi pravæ indolis aut stolidæ, et submissioris ad terram animi, ab eo abhorruit idque despexit. Adde quod, gravescente mox civitatis valitudine, et sæviente in populum romanum fortuna, major in dies civium fuga ad philosophiam facta est, et ad illa *sapientum templa*, extra humanos casus posita.

De romano ingenio et latina philosophandi ratione.

Ubi vero, remotis quæ adhuc obstiterant impedimentis, liberius in hoc studiorum campo exspatiata sunt ingenia, tunc effectum est, quod Cicero inchoaverat, ut doctrina, quanquam e græcis præceptis constaret et inventis, tamen magis ac magis romani populi mores, et indolem, vivendique ac dicendi consuetudinem referret, et quæ omnium vulgo philosophorum scholis communia erant, ea ab Romanis proprie dicerentur. Ceterum, populi romani ingenium non infeliciter natura comparatum erat ad quasdam philosophiæ partes commode exsequendas: illi enim elatus abunde spiritus, gravitas summa, constantia, robur, quæ cum fortibus philosophorum præceptis nobilibusque sententiis mire congruebant [1]. Hoc autem in eo insigne, quod vi ac vehementia magis pollebat quam acuto quodam et subtili tenuique vel dicendi vel excogitandi genere, et propter assiduam tantorum domi ac militiæ negotiorum occupationem, quærere assueverat ex doctrina id potius quod, sive ad vitam ordinandam, sive ad rempublicam administrandam conduceret, quam quod ingenii solertiam exerceret et ostenderet [2]. Itaque, illam potissimum philosophiæ partem secuti sunt Romani, quæ pertinet ad mores, et in ea

[1] « Sed meum semper judicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Græcos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent..... Quæ enim tanta gravitas, quæ tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum majoribus nostris comparanda. » (Tusc. I, 1.)

[2] Scipio apud Cicer. « Quamobrem peto a vobis, ut me sic audiatis,

amplectenda nimiam Græcorum effugerunt subtilitatem, novumque genus philosophandi attulerunt. Nam pridem in Græcorum scholis moralis illa scientia excolebatur, et pleræque magistrorum disputationes ac controversiæ de *finibus bonorum ac malorum*, *de virtute*, *et explendis officiis* ceterisque ejusmodi argumentis, movebantur; sed apud omnes fere Græcos vigebat ratio quædam res omnes strigose et captiose dicendi, et eas in partitionum angustias compellendi; unde exorta erat, ut ait Cicero, philosophia *spinis ac dumetis* horrida [1]. Sæpissime M. Tullius, in hunc morem jejunum et exsanguem, ineptiasque operosas invectus est: idem, qui omnes philosophiæ partes litterarum luce illustraverat, tamen eximiis laudibus vitæ componendæ scientiam extollit, et hunc præcipuum doctrinæ finem fructumque uberrimum esse contendit [2]. Populus romanus in sententiam M. Tullii pedibus ivit, et luculento illo auctore, censuit non perfectam esse philosophiam quæ expers esset eloquentiæ [3]. Itaque, oratorium robur copiamque dicendi in scholas et in libros philosophorum contulit, græcamque exilitatem ampla et magnifica honestavit facundia. Quanquam non arbitramur Græcos ipsos iis semper caruisse ornamentis; nam fatetur Cicero Platonem et Peripateticos grandia ornate, minora enucleate solere dicere [4], sed

neque ut omnino expertem græcarum rerum, neque ut eas nostris in hoc genere anteponentem; sed ut unum e togatis, patris diligentia non illiberaliter institutum, studioque discendi a pueritia incensum, usu tamen et domesticis præceptis multo magis eruditum quam litteris.» (*De rep.* I, 22.)

[1] Acad. I, l. II, 35. — Paradoxa, 1.

[2] Tusc. I, 49.

[3] Tusc. q. I, 4. — « Magna eloquentia est utendum, atque ita velut superiore e loco concionandum, ut homines mortem vel optare incipiant, vel certe timere desistant. » (*Ibid.* 49.)

[4] *De finib.*, IV, 3.

mos ille obsoleverat, et fons pristinæ orationis, in minutos rivulos concisus, arescebat. Nec solum Romani in philosophicis disputationibus vernacula usi sunt eloquentia, sed multa ipsi invenere, aut jam inventa auxere et in majus provexere. Nam, cum Romanorum mores et instituta multum a Græcis discreparent, et Romæ, ob ingentem populorum vim eo confluentium, innumera essent vitiorum genera infinitæque libidinum species, sequitur ut latior campus philosophiæ patuerit, ad inspiciendam humani animi naturam, et morbis multis ac variis nova insolitaque remedia adhibuerit: serpente mali labe, ars ipsa medendi accepit incrementa [1]. Igitur, romani philosophi in illam præceptorum silvam a græcis descriptorum non nihil intulerunt, et plurima ab eis prudenter, acute, fortiter dicta sunt et excogitata; nec mihi videtur absurdum contendere eos in his rebus alienam disciplinam eo ferme pacto esse secutos, quo solebant comici et tragici poetæ; qui, cum fabularum argumenta sumerent a Græcis, tamen togatos mores vel in palliatis depingerent. Nempe reperias apud latinæ philosophiæ scriptores multa egregie dictorum aut factorum exempla ex annalibus populi romani deprompta [2]; ipsa etiam præcepta domesticis institutis accommodata; jam similitudines, figuras dictionis, ceteraque verborum ornamenta a rebus militaribus, et ludis circensibus gladiatoriisque pugnis petita. Mox, ubi novum genus dicendi in scholis Rhetorum exortum est, sententiis copiosum, igniculis verborum et luminibus splendidum, figurisque ac translationibus audax, hac rhetorica pompa philoso-

[1] « Adversus tam potentem explicitumque late furorem operosior philosophia facta est, et tantum sibi virium sumpsit, quantum his, adversus quæ parabatur, accesserat. » (Seneca, Ep. xcv, 30.)

[2] M. Tullius fratri gratulatur quod exempla ex annalibus romanis sumpserit. (*De div.*, ii, 3.)

phia enituit, et in disputationibus est declamatum. Nam post Ciceronis ætatem, non jam tantum græce, sed et latine philosophi, sive in scholis sive in libris, disserebant, et Cicero ipse animadvertit jam, multos vel suo, vel Rabirii et Amafinii exemplo, ad scribendum esse concitatos, et libris Italiam occupasse[1]. Inde, non jam studiorum causa Athenas peregrinatum est, videlicet quia scholis Romæ institutis erant contenti, et huic novo latine et romane philosophandi generi homines summopere incumbebant.

Quanquam Romani, ut diximus, in morum scientia maxime versati sunt, erat etiam altera pars quæ eos quibusdam illecebris duxisse videtur, eam dico, quæ in *Quæstionibus naturalibus* sita est. Ad quam amplectendam, eo, ut opinor, incitabantur quod non inutile existimabant hoc genus doctrinæ, et non nulla ex eo commoda, vel certe honesta oblectamenta, quæri posse. At non est quod dicere possim quantum in eo profecerint, Græcosque superaverint, nisi forte putandum est ipsam imperii magnitudinem et ingentia marium ac terrarum spatia tum primum aperta et lustrata multum auxilii quærentibus attulisse, quod ex scriptis Plinii majoris patet; sed hic latinæ eruditionis princeps non ejus est, de qua inquirimus, ætatis[2]. Satis sit igitur

[1] « Post Amafinium autem multi ejusdem æmuli rationis multa quum scripsissent, Italiam totam occupaverunt. » (Q. Tusc. iv, 3.) — « Libri nostri complures non modo ad legendi, sed etiam ad scribendi studium excitaverunt. » (*De off.*, ii, 1.) Inter illos Ciceronis æmulos dandus est M. *Bruto* locus, cujus librum de *virtute* laudant Cicero (Tusc. v, 1; — *De fin.*, i, 3), et Seneca (ad Helv. 9). Dicitur etiam de *officiis* scripsisse. De Bruto Ciceronem audias : « *Brutus* quidem noster excellens omni genere laudis sic philosophiam *latinis litteris* persequitur, nihil ut iisdem de rebus a Græcis desideres. » (Acad. ii, l. I, 3.)

[2] Tamen non multum ab ea ætate recedit Plinius, cum natus sit anno fere tertio et vigesimo post Christum. Sed opera ejus ad alteram sæculi partem pertinent.

dixisse, etiam ante C. Plinii tempora, studia hominum in hoc scientiæ genus accensa fuisse.

Magnam philosophorum turbam, eo tempore, Romam confluxisse.

Præterea, pacatis post Actiacam pugnam rebus, major quam antea doctorum virorum copia undique Romam immigravit, præsertim e scholis quæ Athenis et Alexandriæ, vel apud Rhodios et Tarsenses numero discipulorum et fama magistrorum florebant. Nam multos olim bellorum civilium metus ab Italia arcebat [1]. Quanta eo tempore apud socios et exteras gentes Romam visendi libido flagraret, testis est Strabo qui Romam Alexandrinis et Tarsensibus philosophis tunc refertam fuisse dicit [2]. Quamvis eloquentiæ spatia admodum circumscripta essent et adducta in arctum, Suetonius auctor est plurimos tunc exstitisse dicendi magistros; quo magis credendum est non defuisse sapientiæ doctores, quum id studium vigeret adeo et in dies cresceret [3]. Sed inter illos ejus ætatis philosophos qui ditissimi et honestissimi cujusque domum obsidebant, aut scholas, admisso populo, instituebant, his præsertim attendemus qui latine docuerunt.

Ex omnibus sectarum discipulis qui tunc Romæ erant, Epicureos et Stoicos maxime et numero et auctoritate valuisse constat. Nam fatetur Tullius populum cum Epicuro facere, et vulgo edisci Epicurea placita [4]; addit multas tunc Epicureorum adversus se exortas esse

[1] « Nec Ciceronem quidem ætas mihi eripuerat, sed bellorum civilium furor, qui tunc totum orbem pervagabatur, intra coloniam meam me continuit. » (Senec. Rhet. contr. præf.)

[2] « Ταρσέων καὶ Ἀλεξανδρέων ἡ Ῥώμη ἐστὶ μέστη. » (L. XIV, 5.)

[3] « Quare, magno studio hominibus injecto, magna etiam professorum ac doctorum profluxit copia, adeoque floruit ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium atque ad summos honores processerint. » (*De clar. rhet.* I.)

[4] *De finibus*, II, 14 « Populus cum illis facit. » — *Ibid.* III, 7. — « Cujus (Amafinii) libris editis, commota multitudo contulit se ad eamdem potissimum disciplinam. » (*Tusc. quæst.* IV, 3.)

querelas, quod contra eos studiose diceret [1]. Idem fatetur exstinctam esse ac jam pridem omissam Academicorum disciplinam [2]. Non est tamen quod credas neminem Romæ fuisse aut Platonis, aut Aristotelis, aut Pyrrhonis, aut Carneadis studiosum; sed fere paucos, aut potius singulos earum cujusque sectarum amatores, quam ipsas sectas exstitisse aut valuisse, dixerim [3]. Quanquam Epictetum videre est adversus academicos et scepticos digladiantem, Lucianumque omnis generis scholas deridentem; apud eumdem reperimus annua stipendia omnium sectarum professoribus a M. Aurelio ex ærario esse data [4]. Sed inde manifestum est eas apud Græcos scholas potius quam apud Romanos viguisse. Nam queritur Seneca Pythagoreorum, Academicorumque disciplinam, Neronis temporibus, desertam esse et relictam [5].

Nunc, quæ breviter et cursim diximus, et vix indiciis quibusdam signavimus, reliquum est ut pluribus verbis exsequamur.

[1] *De finib.* II, 7. — *Quæst.* T. III, 21.

[2] « Nec vero desertarum relictarumque rerum patrocinium suscepimus..... quam nunc (philosophiam, scilicet academicam) orbam esse in ipsa Græcia intelligo. Quod non academiæ vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse. » (*De nat. D.* I, 5.)

[3] M. Brutus Platonis erat studiosus, una et Zenonis. — Varro, veteri academiæ deditus. — Eo tempore peripateticos complures reperias : Demetrium, Catonis philosophum, Alexandrum Antiochenum qui Aristotelis doctrinam M. Crassum docuit; Staseam Neapolitanum, qui sæpe cum M. Pisone fuit. Cicero filium suum Cratippo peripatetico tradidit erudiendum. Aristotelis libros, adhuc reconditos, a Sylla Romam deportatos et a Tyrannione grammatico et Andronico Rhodio conscriptos nemo nescit. — — V. Bruckeri prolixam et subobscuram tractationem (t. II, c. I, § 8, 13, 14, 25).

[4] Arr. dissert. — Luc. Hermot. (14), et Eunuch. (35).

[5] Quæst. nat. VII, 32.

II.

De Horatio Flacco ceterisque poetis qui, temporibus Augusti, philosophiam versibus attigerunt. — Quædam e Manilio, A. Tibullo, Ovidio, ac Virgilio excerpta.

Quam accensa essent, Augusti temporibus, populi romani in sapientiam studia, quam pulchrum ac bono viro dignum opus, quamque utile videretur, philosophari, maxime, ut equidem opinor, ex Epistolis ac Satiris Horatii perspicuum est. Quamvis enim neque philosophiam se docere profiteatur, neque ullius unius disciplinæ legibus sese adstringat, tamen ipse summo amore doctrinæ tenetur, cohortaturque ceteros ut illi curam ac laborem impendant. Quod si vir ille acutissimi ingenii, et recti in primis judicii, qui se moribus temporibusque amicorum accommodare calleret, in Epistolis ad eos scriptis magnifice laudat Philosophiam, nonne jure ac merito hinc colligi potest eam tunc summo in honore fuisse apud æquales poetæ, principesque civitatis sibi habuisse deditos? Omnia autem Flacci opera sententiis philosophorum referta sunt, quæ non modo in Sermonibus aut Epistolis, sed in ipsis passim *Carminibus* legenti occurrunt. Ut M. Tullius omnem vim dicendi e philosophia se hausisse declarat, sic Horatio copiosissima rerum materies et poetica quædam fertilitas iisdem e fontibus manavit, nec scio an philosophis potius quam poetis adscribendus sit. Exemplo certe suo, hoc quod ceteris suadet ut faciant, quam verum sit, comprobavit:

Rem tibi socraticæ poterunt ostendere chartæ.

Cujus sectæ sit Horatius.

Quæri potest cui potissimum sectæ indulserit. Quidam existimant nullam aliam Flacco suppeditasse sa-

pientiam quam quæ, ut dicitur, ex sensu communi et probæ naturæ indole solet proficisci, neque diligenter doctrinæ monumenta pertractavisse, neque satis curasse quid rectius ac verius ab unoquoque magistrorum diceretur, sed ex eorum operibus aliqua vulgaris notæ et usus quotidiani præcepta sumpsisse : qui error est multo gravissimus. Nam prope est ut contendere audeam Flaccum non minus quam Ciceronem in studio doctrinæ versatum, eamque omnino perspectam ac cognitam tenuisse; quanquam ex incondita illa rerum mole, habilem sibi comparavit et aptavit scientiam. Neminem fallit Horatium de arte vivendi tantum disseruisse, cetera vero omisisse quæ parum commode quæruntur, aut disputantur subtilius, et *quæ tractata nitescere posse* desperaverit. Inter illas duas florentissimas, Epicureorum ac Stoicorum, sectas, quasi medius stat, neque ad omnem hortulorum luxuriam dilabitur, neque severiori virtutis disciplinæ par est. Quando rationi ingenitoque virtutis amori obtemperat, Zenonis sub signis dat nomen, eo tamen animo quo parmulam olim, Bruto duce, abjecit [1]. Sed libenter crediderim senescentem poetam propius se ad stoicos admovisse [2]. Certe, in exercenda philosophia semper modum tenuit et quæcumque, in utrisque, rationi et naturæ parum erant consentanea repudiavit. Igitur, hoc jam habeat proprium et peculiare, cum Græcorum doctrinam sequeretur, elegisse, et judicio arbitrioque suo, perinde ac M. Tullius, aliorum inventa imitatum fuisse.

At enim, quam sæpe stoicos lacessit ! — Deridet quidem stoicorum barbam et illuviem, aut aliquorum mores parum sapientia dignos, aut quædam παραδοξότατα

[1] V. Epist. I. versus notissimos.

[2] *Ibid.*

decreta; sed quæ in ejus scholæ præceptis grandia, sancta, vere virilia sunt, num forte ea ludibrio habet? Immo summis extollit laudibus [1]. Nonne etiam Epicureos pungit, et eorum gulam et ganeam vituperat [2]? — Dicet aliquis : sed quoties stoicorum doctrinam, quasi serio ageret et loqueretur ex animo, versibus explicavit, nonne vides ut orationem aliquo faceto verbo concludat, quod vim omnem rerum, de quibus disserebat, evertit [3]? — Minime. Nam eo genere dicendi ad id tantummodo utitur ut non videatur personam agere magistri docentis, et barbam ac pallium sumere philosophorum. Non illi unquam e memoria excidit satiras se componere, non scholas, nec poetæ deserit partes, etiam cum seria attingit. Hoc præsertim animadvertere est in ea satira ubi Damasippum ac Stertinium inducit stoicorum more disputantes : utrumque deridet, fateor, at non eorum verba, quibus vehementer ac merito omnium vitiorum species recenset et castigat [4]. — Sed quid refert, inquis, sententias utiles, rectas, fortes proferre, et eos qui talia edisserunt ludibrio habere? — Quoniam proprium est fabulas comicas aut satiras scribentis, *verum ridendo dicere,* ut simul et prosit et delectet; nam si seria serio ageret, adduceret frontem oratio tristis et morosa, ut fit apud Persium. Idem censuit *Molierus* in fabula cui Μισάνθρωπος inscribitur, in qua non

[1] V. passim et inter multa, hæc :

Hic murus aheneus esto
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa...(Ep. I, 1).

Ista tibi melius suadet, qui rem facias, rem, etc...
An qui fortunæ te responsare superbæ
Liberum et erectum præsens hortatur et aptat? (*Ibid.*)

[2] Sat. 4, lib. II.

[3] V. Ep. I, l. I. sub finem : Ad summam sapiens, etc...... nisi quum pituita molesta est.

[4] Voyez Sat. III, l. II. — Sat. VII, l. II.

aliter ac Flaccus in ea, de qua dicimus, satira, vitiorum insectatorem acerrimum inducit qui, cum ea et ridet et castigat, ipse ludibrio est spectantibus. Rident dicentem auditores, sed vera dicere eumdem fatentur.

Quod si hæc breviter contrahere velis, sic dicendum est : Horatio fortia stoicorum decreta placuisse ; eumdem ex epicureorum opinionibus eas libenter sectatum quæ simul ad probitatem vitæ et ad felicitatem conferebant ; quæ quidem non tam epicureorum sunt, quam omnium philosophorum, atque, ut ait Seneca, *publicæ voces* [1]. Cæterum, quamvis Epicuri schola apud ceteras male audiret, multi ex iis qui contra stabant, sæpe fatebantur nonnulla ab ea dici sapienter, etiam fortiter : quod apud M. Tullium et Senecam reperias [2].

Nunc adnotabimus quæ maxime eminent inter præcepta sapientiæ Horatianis versibus illustrata.

Primum mihi occurrit animumque movet quod Horatius de *studio philosophiæ* dicit : hoc esse non modo pulcherrimum et honestissimum, sed omnibus hominibus, cujuscumque ætatis conditionisve sint, maxime necessarium ; huic, ante omnia, incumbere oportere ; neque aliter quemquam civem bonum atque frugi fieri posse ; hinc animi medicinam, hinc salutem peti [3]. Hæc, equi-

[1] Epist. VIII, XII.

[2] « Multa præclare sæpe dicit Epicurus : quam enim sibi constanter convenienterque dicat, non laborat. » — Metrodorus ait : « Occupavi te, fortuna, atque sæpe ; omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me aspirare non posses. » (Tusc. Q. v, 9, 10.) — Senec., Ep. XXXIII. — *De vit. beat.*, I, 3.

[3] Ep. I, 1.

> Ut nox longa quibus.....
> Æque pauperibus prodest, locupletibus æque,
> Æque neglectum pueris senibusque nocebit.

— Ep. I, 3 :

> Quo te cœlestis sapientia duceret, ires.
> Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
> Si patriæ volumus, si nobis vivere cari.

— V. etiam Ep. I, 16 ; v. 24, 59. — Ep. I, 2.

> Ut teipsum *serves*, non expergisceris ? etc., v. 33.

— Ep. II, 2 ; v. 146.

dem, sumpta ab Epicuro; sed illud, ut opinor, novum ac mirum est quod ad Romanos viros, civitatis principes, scribuntur : nam M. Tullius, etsi philosophiæ valde studiosus, erat quod ipsi philosophiæ anteponeret, nec eam ante omnia necessariam censebat. Eodem modo atque Horatius, Seneca : « Exercet phi- » losophia regnum suum : dat tempus, non accipit. » Non est res subcesiva; ordinaria est, domina est; » adest, et jubet... Totam huc converte mentem, huic » asside, hanc cole[1]. »

Nunc, ex eo quod contendit philosophiæ studium rem esse omnium præstantissimam, sequitur ut hoc etiam addat « *maximam animo curam esse adhibendam, eum præceptis informandum, prudentibus dirigendum institutis, vitiis expurgandum, adornandum virtutibus*[2]. » Jam hominem hominis munera exercere jubet, secum habitare, sui compotem fieri, et remotas ab rebus externis cogitationes in semetipsum reducere, ut sibi inserviat sibique vivat. Sed qua via finem hunc assequetur? Plurima sunt quæ ab eo præcipiuntur : « *Sapientium libros legendos esse, colendas amicitias; nunquam de animi curatione ambigendum aut procrastinandum; præsertim eligen-*

[1] Ep. LIII.

[2] Nimirum sapere est abjectis utile nugis....
Et veræ numerosque modosque ediscere vitæ... (Ep. II, 2, v. 140.)

Lenior et melior fis accedente senecta?... (*Ibid.*, 211.)

Quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc sum....
Restat ut his ego me ipse regam solerque elementis...
Fervet avaritia miseroque cupidine pectus?
Sunt verba et voces quibus hunc lenire dolorem
Possis, et magnam morbi deponere partem....
Nemo adeo ferus est ut non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem... (Ep. I, 1.)

Certemus spinas animo ne ego fortius, an tu
Evellas agro; et melior sit Horatius, an res?... (Ep., I. XIV.)

dum esse quasi patronum aliquem qui nos adversus vitiorum impetus defendat, custodem qui nobis assideat, dubitantes impellat, cessantes excitet, perpetuum denique virtutis magistrum, cujus sub disciplina senescamus [1].

Quæ ceteris Horatius præscribit, ea instituta vitæ ipse sequitur. Narrat enim se sæpenumero animum interrogare, consilia, acta, mores recensere, ut inde seipsum admoneat, et caveat in posterum [2]. Nonne etiam multis magistrum vitæ, rectoremque animi dubii et fluc-

[1] Nunc adbibe puro
Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer. (Ep. II, 1, v. 68.)

Inter cuncta leges, et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum;
Ne te semper inops agitet vexetque cupido,
Ne pavor, et rerum mediocriter utilium spes:
Virtutem doctrina paret, natura ne donet;
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum;
Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum,
An secretum iter, et fallentis semita vitæ. (Ep., l. XVIII, 92.)

Nec medici credis, nec curatoris egere
A prætore dati? (Ep. I, 1, v. 101.)

Ne cures ea quæ stulte miraris et optas,
Discere et audire et meliori credere non vis? (*Ibid.*, v. 47.)

Et ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis et rebus honestis;
Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quæ lædunt oculum festinas demere; si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit, habet; sapere aude,
Incipe! qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat dum defluat amnis, etc. (Ep. II, l. I, v. 27.)

[2] Neque enim, quum lectulus, aut me
Porticus excepit, desum mihi : Rectius hoc est:
Hoc faciens, vivam melius; sic dulcis amicis
Occurram ..... hæc ego mecum
Compressis agito labris. (Sat. I, 4, v. 130.)

tuantis se præbuit? Nonne, quæ ad *Numicium* scripta est, epistola prudentissimi magistri est et amice monentis? Nam cum Numicius inter præcepta sapientiæ et pravas vulgi opiniones incertus hæreret, Flaccus ambigenti virtutis ne an erroris viam sequeretur, quæ sint vivendi species, quid quæque polliceatur conditio, aut minetur, ostendit, et re omni exposita ante oculos, ei facultatem dat eligendi. Hæc blande, hæc comiter, hæc facete, ut solet, necnon et graviter. Eadem, si libeat, in multis ejusdem reperias Epistolis [1]. Habet quiddam epistolarum genus, familiare et lene, et amicum, et mites illos animi motus quos *mores* vocant recipit, et tam a severitate disputationum quam a vehementissimo concionum impetu abhorret. Itaque huic maxime philosophiæ congruit, quæ, ut ait Seneca, *bonum consilium est*[2].

Jam in promptu est cetera hic colligere quæ amicis suadere solet ut faciant blanda Horatii Flacci sapientia.

Nam eos hortatur ut honores contemnant, et famam, imperitique vulgi existimationem, divitias, et quæcumque vano fulgore circumlucent et animos decipiunt[3]. Eximendam esse e pectore superstitionem, quæ metum nobis incutit; amovendas voluptates, quæ animum cœlesti origine profectum humi affligere solent[4]. Hæc etiam addit : Fortitudine se quisque muniat adversus vitæ discrimina; virtutem qui sequitur, *stipendia* facit et *militiæ* dat nomen. Mors servitio potior[5]. —

[1] Vid. libr. I. Ep. II, XI, XII, XVI, XVII.
[2] Ep. XLVIII.
[3] Ep. I, 6. 1-20. — Ep. I, 10, v. 30.
[4] V. Sat. 3, l. II, v. 79 et 286. — Sat. 2, l. II, v. 76.
[5] Sat. 2, l. II, v. 111 et 135.

In pace ut sapiens aptarit idonea bello...
Quocirca vivite fortes, etc...

Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat et obruitur re...

Vir bonus et sapiens audebit dicere : Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre patique

Et apud eumdem legas : removendam vanæ sapientiæ imaginem, et apertis votis vivendum. Clementia utendum esse adversus homines, et mitem animum erga delicta sumendum, quia nemo sine vitio sit[1]. Auxilium patriæ ferendum, dandam opem pauperibus[2]. — Veram nobilitatem in animo sitam, nec imaginibus constare. Servum esse cui libido imperet[3].— Denique, tædia, et animi levitatem sibi displicentis, erroresque vagos hominum per maria ac terras currentium, vitanda[4].

Hæc et multa alia multis locis apud Horatium occurrunt, neque Seneca aut Persius puriorem vivendi formulam tradidere. Non enim Horatius pulcherrimarum sententiarum, quas edisserit, primus auctor est, sed florem sapientiæ græcæ quasi delibavit, et inde compositiones ac medicinam sibi amicisque paravit. Quid igitur in illo proprium et peculiare fuisse dixerim, ita ut non interpres tantummodo alienorum dictorum habeatur? Ea fuit, ut jam diximus, ars eligendi et in tanta rerum copia optima dijudicandi ; deinde id dicendi ge-

Indignum coges? — Adimam bona.—Nempe, pecus, rem,
Lectos, argentum ? tollas licet. In manicis et
Compedibus sævo te sub custode tenebo.

Ipse Deus, simul atque volam, me solvet.—Opinor,
Hoc sentit : moriar ; mors ultima linea rerum est.
(Ep. XVI, v. 67 et seq.)

[1] V. Ep. XVI ad Quinctium, v. 20, 30, 37, 45, 58. — V. Sat. 3, l. I, v. 25, 35, 41, 54, 66, 70, 75, 83, 94.

[2] V. Sat. 2, l. II, v. 100.

Divitias habeo tribus amplas regibus : — Ergo
Quod superat, non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam, te divite ? quare
Templa ruunt antiqua Deum ? Cur, improbe, caræ
Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo ?
Uni nimirum tibi recte semper erunt res ?

[3] Sat. 6, l. I, v. 7, et 63. — Sat. 7, l. II, v. 57. « Quisnam igitur liber ? etc. » et seq.

[4] Ep. XI ad Bullatium. — Ep. VIII.

nus facetum ac venustum, quod gravitatem sapientiæ risu et amicitia temperat, et *circum præcordia ludit*. — Græcis quidem sententiis, sed suis moribus ac verbis philosophatus est Horatius.

De Manilio, et philosophis quæstionum naturalium studiosis.

Multus est Horatius in scientia morum excolenda, ceteras vero philosophiæ partes plane omittit : nec eæ quidem admodum sine honore jacebant. Quamvis enim Socrates sapientiam e cœlo avocasset et in terram humanosque animos deflexisset, illa non ideo sese his finibus incluserat, sed interdum ad cœlestia libenter exsiliebat. Nam tot rerum miracula supra caput fulgentia, naturam siderum, ordinem, cursus, celeritatemque incredibilem, hanc denique mundi pulchritudinem, sapiens avidis oculis perlustrabat, ut leges tantorum operum, vimque Numinis latentem simul et undique erumpentem perscrutaretur. A Cicerone accepimus multos inter philosophorum principes, Dicearchum, Chrysippum, Cratippum, Diogenem Babylonium, Antipatrum, Panœtium, de sideribus aliquid scripsisse; et ipse M. Tullius, cum sapientis adumbrat effigiem, hunc facit, a terrestribus rebus expeditum, ad cœlestes exsurgere, et extra *mundi tecta flammantia* procedere, ut hic Dei naturam, humanique animi teneat originem, et assiduo tantarum rerum spectaculo terram contemnere assuescat[1]. *P. Nigidium Figulum*, ex æqualibus Ciceronis, Macrobius

[1] *De divin.* I, 2.— *Tusc. Q.* V, 24, 25. — P. *Philus* in primo Reip. libro, ait : « Omnes avidos sapientiæ cognitio ipsa rerum cœlestium consideratioque delectat. » (C. 13, 17.) — « Idemque, quum cœlum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, eaque unde generata, quo recurrant, quando, quo modo obitura, quid in iis mortale et caducum, quid divinum æternumque sit viderit, ipsumque ea moderantem et regentem pæne prehenderit... In hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu et cognitione naturæ, dii immortales, quam ipse se noscet! quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea quæ vulgo dicuntur amplissima! » (*De leg.* I. XXIII.) Ea cum *Seneca* conferre peræ pretium erit (*Q. N.* præf. I).

vocat *maximum rerum naturalium investigatorem* [1]. Laudat Horatius *Iccium quemdam* quod occupationum vinculis exsolutus ad illa studia traduxerit animum [2]. Nihil potius a musis efflagitabat *Virgilius* quam ut *rerum causas* posset pernoscere, et A. *Tibullus* se invidere iis ait quorum ingenium in celebrandis illis miraculis exercetur [3]. Cum *Ovidius* Pythagoræ studia exponit versibus, astrorum cognitionem iis addit [4]. Fatetur *Seneca* in Consolatione ad Helviam, se rerum cœlestium contemplatione admodum lætari, et *Paulino* gratulatur quod idem et censeat et factitet [5]. Hinc colligimus magnam fuisse, his temporibus, ad *quæstiones naturales* animorum inclinationem.

Præterea, neminem fugit hanc apud populum viguisse opinionem vim quamdam ex astris in homines influere, nobisque mores, ingenium, sortemque vivendi e cœlo manare : quæ mathematicorum stultissima quidem, sed celebratissima scientia erat. Nec ipsi docti viri, quamvis opinionibus vulgi parum inservirent, errorem hunc

[1] Saturn. II, 12.

[2] Quum tu, inter scabiem tantam et contagia lucri,
Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures :
Quæ mare compescant causæ, quid temperet annum, etc.
(Ep. XII.)

[3] Me vero primum dulces ante omnia musæ, etc.
(Georg. II, 474.)

Tibullus :

Alter dicat opus magni mirabile mundi ;
Qualis in immenso desederit aere tellus ;
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem ;
Ut vagus, e terris qua surgere nititur, aer ;
Huic et contextus passim fluat igneus æther,
Pendentique super claudantur ut omnia cœlo.
(IV, ad Messalam I, 17.)

[4] Met. XV, v. 60 et seq.

[5] Cap. IX ; — *De brevit.* XIX.

omnino respuebant, ut in Ciceronis libro *de Divinatione* videre est. Ergo, ea de siderum vi vulgaris et plebeia existimatio, licet ab illa naturæ scientia, de qua diximus, esset absimilis, tamen quodammodo cum ea congruebat, eo præsertim quod sapientibus fere cunctis animos ex astris haustos esse placebat.

Igitur, eas duas simul Manilio causas fuisse dixerim cur sese accingeret ad scribenda de Astris carmina, quod et philosophiæ naturalis pars esset, et mathematicorum gratia apud omnes vigeret.

Apud eum reperire est multa stoicorum, de mundo, deque animi divini ac humani natura, placita.

Hæc de anima mundi :

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraque naturæ diversa condita forma,
Aeris atque ignis, terræ pelagique jacentis,
Vis animæ divina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, et tacita ratione gubernat,
Et multa in cunctas dispensat fœdera partes,
Alterum ut alterius vires faciatque feratque,
Summaque per varias maneat cognata figuras [1].

Namque canam tacita naturæ mente potentem
Infusumque Deum cœlo terrisque fretoque,
Ingentem æquali moderantem fœdere molem,
Totumque alterno consensu vivere mundum,
Et rationis agi motu, cum spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem
Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.
Quod nisi cognatis membris contexta maneret
Machina, et imposito pareret tota magistro,
Ac tantum mundi regeret prudentia censum,
Non esset statio terris, etc...
Motus alit, non mutat opus. Sic omnia toto
Dispensata manent mundo Dominumque sequuntur.
Hic igitur Deus et ratio quæ cuncta gubernat
Ducit ab æthereis terrena animalia signis [2]....

[1] L. I.
[2] L. II.

Nec nihil de hominis origine. — Huic inesse ait animum ex astrorum ignibus haustum, unde fit ut Dei pars sit, quoniam astrorum ignes ex divino fonte manent : cognationem igitur maximam Deum inter et homines intercedere, nempe humanam mentem Dei exemplar, satis exacta ad verum imagine, referre, Deumque intra se continere sedemque illi præbere.

Quis dubitet post hæc hominem conjungere cœlo...,
Eximiam natura dedit linguamque capaxque
Ingenium, volucremque animum ? Quem denique in unum
Descendit Deus atque habitat, ipsumque requirit?...
Quis cœlum possit, nisi cœli munera nosset,
Et reperire Deum, nisi qui pars ipse deorum est ?
..... Ni tantos animis oculos natura dedisset,
Cognatamque sibi mentem vertisset ad ipsam,
Et tantum ditasset opus, cœloque veniret,
Quod vocat in cœlum sacra ad commercia rerum[1]...

Jam nusquam natura latet. Pervidimus omnem,
Et capto potimur mundo, nostrumque parentem
Pars sua conspicimus, genitique accedimus astris.
An dubium est habitare Deum sub pectore nostro ?
In cœlumque redire animas cœloque venire ?

..... Quid mirum noscere mundum
Si possunt homines, quibus est et mundus in ipsis ?
Exemplumque Dei quisque est in imagine parva[2] ?

Nosti quid de fato stoici dicant : omnia quæ nobis videntur accidere certa lege fieri, et ante provisa atque in æternum decreta fuisse :

Mitto quod et certum est et inevitabile fatum,
Materiæque datum est cogi, sed cogere mundo.....
Fata regunt orbem, certa stant omnia lege.
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet[3].

Sedem illam, ubi magnæ animæ, corporis carcere ex-

[1] L. III.
[2] L. IV.
[3] L. II. — L. IV.

solutæ, quiescunt, stoicorum more non in deorum ipso ponit domicilio, sed in ea cœli regione, quæ sideribus proxima est, et in excelso illo loco quem dicit Tullius luce compleri :

> An fortes animæ dignataque nomina cœlo,
> Corporibus resoluta suis, terræque remissa,
> Huc migrant ex orbe, suumque habitantia cœlum
> Æthereos vivunt annos mundoque fruuntur?
> Atque hic Æacidas, etc.....
> Illa Deum sedes, hæc illis proxima, Divum
> Qui virtute sua similes vestigia tangunt [1].

Nunc silentio prætermittam quæ Manilius acute de astrorum legibus edisserit, nam ad rem non pertinent. Scriptus autem est liber, florente Augusto, nam poeta in procemio, cum D. Augusti numen invocaret, ait :

> Hoc sub pace vacat tantum...

Non ab iisdem stoicorum placitis abhorret *Virgilius*, cum animorum ortus, mores ac fata persequitur. At stoicis immiscet platonica, quoniam sic melius proposito suo conducebant. Notissimos versus proferre supersedebo [2]. Virgilium, cum Quinctilio Varo sub Sirone, philosopho epicureo, sapientiæ operam dedisse, Servius auctor est [3]. Donatus autem eum academicum fuisse contendit. Immo neque epicureus, neque academicus fuit, sed poeta.

Ovidius, in primo *Metamorphoseon* libro, cum mundi originem canit, Deum unum, maximum, ac potentissimum tanti operis fuisse auctorem ait ; præterea vim naturæ illi adjumento fuisse, quod rebantur stoici, ut apud Senecam sæpe reperias [4].

[1] L. I.
[2] Georg. IV, v. 220. — En. VI, 724.
[3] Ad eclog. VI.
[4] « Quam utile existimas ista cognoscere, et rebus terminos ponere ?

Hanc Deus, et melior litem natura diremit :
Nam cœlo terras, et terris abscidit undas.....
Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille Deorum
Congeriem secuit.....

— Hominem ex sideribus animum hausisse ostendit, sideraque divinam naturam esse sortita :

Natus homo est : sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina cœli....
Astra tenent cœleste solum, formæque deorum[1].

At illa Ovidio satis incerte et quodammodo ambigue dicta, utpote quæ non ipse cognita et perspecta haberet, sed ex opinionibus scholarum et vulgi excerperet. Inter quæ, et ea de mundi conflagratione fama :

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus
Quo mare, quo tellus correptaque regia cœli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret[2].

Sic paulatim Græcorum inventa non tantum a Romanis ediscebantur, sed etiam latinis litteris vulgabantur.

Quantum Deus possit : materiam ipse sibi formet, an data utatur ? Utrum idea prius materiæ superveniat, an materia ideæ ? Deus quidquid vult efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant; et a magno artifice prave formentur multa, non quia cessat ars, sed quia id in quo exercetur, sæpe inobsequens arti est ? » (Quæst. nat., l. I, præf.).

[1] De illis Diis Seneca : « disposita (in aere) tot numina in actus suos excubant. » (Epist. 102.)

[2] L. I (Jovis ad Deos orat.).

III.

De quibusdam sapientiæ studiosis viris, inter quos eminent Augustus Cæsar, Pollio, Titus Livius. — De scriptoribus rerum philosophicarum tum latinis, tum græcis, quorum opera desiderantur.

Multos Romæ ex principibus viris, sub Ciceronis tempora, sapientiæ studiosos fuisse jam diximus; nunc quid in ætate, quæ secuta est, factum sit videamus.

Exordium nobis faciat *Augustus Cæsar*, qui non modo romanam civitatem, divi Julii exemplo, professoribus liberalium artium, ut opinor, dedit [1], sed Horatium, Livium, Areum, Athenodorum, philosophos viros, in numero amicorum habuit, imo ipse aliquid de philosophia commentatus est. Nam apud Suetonium legitur *Librum Exhortationum* ad philosophiam amplectendam ab Augusto scriptum fuisse, quod et Ciceroni initium de philosophia scribendi fuerat [2]. Narrat idem hunc Augusto morem fuisse ut sententias clarissimas et ad vitam rempublicamque administrandam maxime utiles, quæ in poetis et in oratoribus occurrerent, sua manu perscriberet [3]. Julianus Cæsar, in satira quam de *Cæsaribus* composuit, Augustum inducit ita loquentem : « Equidem philosophiæ libenter obtemperavi, eaque apud me summam habuit auctoritatem. » Satis constat Athenodorum stoicum, qui cum Areo et hujus filiis in domo Cæsaris habitabat, multum operæ nec frustra impendisse, ut triumviri mores mitigaret [4].

[1] Suet. de Cæsar. 52.

[2] De Aug. 85.

[3] *Ibid.*, 89.

[4] Strabo, XIV, 5. — Fabricius, t. II, III. — Dio. l. LVI. Idem ait de *Musis* Horatius : « Vos *lene consilium* et datis, et dato gaudetis almæ. » (Od. 4, l. III.)

Ann. Seneca eumdem principem magni videtur fecisse, nam sæpenumero clementiam ejus in cives, erga servos placabilitatem, injuriarum patientiam, et otii amorem imperiique non falsa fastidia, collaudat [1]. Is Marcellum, sororis filium, Nestori academico educandum crediderat, T. Livio Claudium; narrat etiam Seneca pater Augustum nonnunquam in scholas rhetorum venisse, familiari comitatu [2]; sed non mihi compertum est eumdem philosophos audire solitum, quod libenter crediderim, quia non abhorrebat ab illa civili agendi ratione, quam Tacitus memorat, cum refert hunc ludis circensibus, aliisque vulgi oblectamentis interfuisse [3].

Non *Mæcenatem* sapientiæ amatoribus adscripsissem, qui adeo mollis et infamis ob luxuriam fuit, et Augustum dehortatus est ne philosophis faveret [4], nisi me provocaret illa, quam habuit cum Horatio, amicitia; nam inde manifestum est eum, licet moribus pravus esset, tamen egregias philosophorum sententias et honesta præcepta adamasse.

Tiberius Cæsar præceptorem habuit Nestorem quemdam Tarsensem, et Alexandrum Œgeum, Sosigenis illius discipulum, cujus opera D. Julius usus erat in mutando dierum ordine et corrigenda anni descriptione [5]. Ipse, cum Rhodi exsularet, rhetorum scholis

[1] *De brev. vitæ*, 2, 3, 5.

[2] Controv. II, 12.

[3] *Ann.*, I, 44.

[4] Philosophos populis exitiabiles dicit Mæcenas. V. Dionem, l. LII; (Mæc. ad Aug. orat.) — *Gaudentius* quidam conjicit hanc non Mæcenatis sed Dionis esse orationem.

[5] Suidas ait hunc Alexandrum Neronis fuisse magistrum; sed, ut opinor, intelligendum est Tiberii Neronis. Alexander ille de Aristotele commentarios scripsisse dicitur. — De *Sosigene* vide Plinium (XVIII, 25). Et ille de Cœlo Aristotelis commentarios ediderat, Simplicio auctore. — De Nestore V. Strab. XIV, 5. — Lucianum *de Longævis*, cap. XXI.

delectabatur et eorum controversiis interesse solebat, non sine flagrantibus studiis [1]. Grammaticos, cum rerum potitus est, in amicorum cohorte habuit, non autem philosophos; nam Thrasyllus, quem in contubernio suo detinebat, mathematicus fuisse potiusquam sapientiæ sectator videtur [2]. Tamen non reperio philosophos a Tiberio exagitatos aut exsilio affectos.

De romanis philosophis.

Scripserant de philosophia *Pollio Asinius* ac *T. Livius*. Quas ille res potissimum libris persecutus esset, incertum; sed hic *dialogos*, non magis ad historiam quam ad philosophiam pertinentes, et libros ex professo philosophiam continentes, ediderat. Quos excidisse et longo ævo interceptos esse maxime desiderandum censeo, auctore Seneca, qui eos laudibus extollit [3]. Non pauca tunc edita esse, latinis litteris, opera inde conjici potest quod Seneca, cum Fabianum philosophum T. Livio ac Pollioni postponit, addit illum sic positum multos tamen antecellere [4].

In ambiguo mihi fuit num Augusti temporibus adscribendus esset *Varro*, Romanorum doctissimus, qui sero ad philosophiam accessit. Quem enim videre est in primo Academicorum Ciceronis libro nondum quidquam de ejusmodi rebus scripsisse, quamvis tunc septuagesimum fere annum ageret [5] : at postea, si Mar-

[1] Sueton. de Tiber., cap. II, 56, 60. — Tac., *Ann.*, IV, 58; — VI, 21.

[2] Tamen de Platonis libris scripserat aliquid; nempe Plotinum Thrasylli libros Platonicos legere solitum esse narrat Porphyrius (De Plot., cap. X, § 9).

[3] Ep. C. Hoc de Pollione habet Senecæ Epistola : — « Pollionis salebrosa et exsiliens (compositio), et ubi minime exspectes relictura. Denique apud Ciceronem omnia desinunt; apud Pollionem cadunt; exceptis paucissimis, quæ ad certum modum et ad unum exemplar adstricta sunt. » (Ep. C.)

[4] Ep. C, *ibid.* « Vide autem quam multos antecedat qui a tribus vincitur, et tribus eloquentissimis. » — *Fabius* autem ait : « In *philosophia paucissimos* adhuc *eloquentes litteræ romanæ* tulerunt. » (X, 1.)

[5] « Quæro, quid sit cur, quum multa scribas, genus hoc prætermittas,

tiano Capellæ et Augustino credimus, tres de *philosophia* libros, alios de *Deorum cultu*, alios de *dialectica* composuit [1]. Nuper in ordinem digestæ et in lucem editæ sunt *Varronis sententiæ*, quas ex illius libris excerptas *mediæ ætatis* homines conscripserant. Pleræque earum cum stoicorum doctrina congruere videntur; cujus rei tibi fidem faciet aureolus quidam libellus quem perlegere operæ pretium est [2]. Ex hoc numero paucissimas tantum huc afferam :

I. Loquaris ut omnes ; sentias ut pauci. — Ratio est vitæ in multam concedere turbam [3].

II. Ex animo dantis censeatur munus magnum [4].

præsertim quum et ipse in eo excellas, et id studium, totaque ea res longe ceteris et studiis et artibus antecedat. — Tum ille, istuc quidem considerabo, nec vero sine te. (Cap. I et IV.)

[1] « M. Varro in libro de philosophia tam multam dogmatum varietatem diligenter et subtiliter scrutatus advertit, ut ad ducentas octoginta octo sectas (de finibus bonorum ac malorum) non quæ jam essent, sed quæ esse possent, adhibens quasdam differentias, facillime perveniret. » (*De civit. Dei*, XIX, 1.) — « Tametsi minus est suavis eloquio, doctrina tamen et sententiis ita refertus est, ut in omni eruditione, quam nos secularem, illi autem liberalem vocant, studiosum rerum tantum iste doceat, quantum studiosum verborum Cicero delectat. » (*Ibid.*, VI, 2.) — Quintilianus, *Inst. orat.*, I, 4 : « Varronem et Lucretium in latinis, qui præcepta sapientiæ versibus tradiderunt. » — Martianus Capella, *De nuptiis philologiæ* (Dialectica, L. IV) : « Ni Varronis mei inter Latiales glorias celebrati mihi eruditio industriaque suppeteret, possem femina Doricæ nationis apud Romuleæ vocis examina, aut admodum rudis aut satis barbara reperiri. Quippe post Platonis aureum flumen, atque Aristotelicam facultatem, M. Terentii primum me in Latinam vocem pellexit industria, ac fandi possibilitatem per scholas Ausonias comparavit..... » — Reperiuntur in numero operum Varronis Λογιστορίκων libri LXXVI. — Denique omnibus nota sunt quæ Augustinus in libris *De civitate Dei* ex antiquitatibus Varronis de Diis et ratione rerum divinarum excerpsit. (*De civit. Dei*, lib. VII et VIII.)

[2] Sententiæ M. Terentii Varronis. — Chappuis, 1856.

[3] Conferre licet Senecam. Ep. V, XVIII, CIII.

[4] *De benef.*, VI, 7.

III. Nemo suum putet quod extra ipsum est [1].

IV. Eo vultu dimittendæ sunt divitiæ quo accipiendæ [2].

V. Philosophiæ non accommodari tempus, sed dari oportet : ipsa enim præcipuus est Dei cultus [3].

VI. Illum elige eruditorem, quem magis mireris in suis quam in alienis [4].

VII. Sapiunt vasa quidquid primum acceperunt [5].

VIII. Non strenuum appellabis negotiatorem, qui in nullo rem auxit; nec ego hunc philosophum qui nihil invenit.

IX. Sui dominus est qui se philosophiæ mancipavit [6].

X. Pro amico sæpe mori expedit [7].

Exstant ejusmodi sententiæ numero fere centum et quinquaginta. At si quis quærere institueret quam multa sapienter et philosophico more dicta in libris Varronis occurrant, ille profecto plurima in fragmentis quæ supersunt accurate collecta, vel ex libris de *Lingua latina*, vel ex *Satiris* inveniret [8].

[1] Persius, Sat. IV. Sub finem.

[2] Seneca, *De vit. beata*, et Ep. LXXIV.

[3] Vide Horat. et Senecam, pag. 13.

[4] Senec. Ep. LII.

[5] Horat. Ep. I, II.

[6] Epicuri hanc vocem hodierno die legi : « Philosophiæ servias oportet ut tibi contingat vera libertas. » — Hoc enim ipsum philosophiæ servire libertas est. (Sen. Ep. VIII.)

[7] In quid amicum paro? ut habeam pro quo mori possim..... (Seneca, Ep. IX.)

[8] De lingua latina, Fragm. Edid. Egger 1837. — Satir. q. sup. edid. Œhler. — Reperias librorum a Varrone conscriptorum titulos in libello prædicto, sub finem (Chappuis, 1856).

Sunt et alii latini scriptores, de quibus hoc modo notum, eos aliquid scripsisse. Apud Fabium reperimus *Plancum* stoicum, multarum rerum cognitione insignem fuisse; M. *Catium Miltiadem*, ex epicureis, levem sed non injucundum, quatuor libros de summa bonorum, et præcepta de arte cœnandi edidisse, quæ naso suspendit Horatius [1]. *Fabius* ille loquax, *Stertiniusque* ac *Crispinus*, modo vera nomina sint, rectius, ut opinor, ætati quæ principatum Augusti antecessit, adscripserim. Sunt qui Stertinium dicant ducentos ac viginti libros, Chrysippeo quodam partu, effudisse.

Non silentio prætermittendus est, inter Latinos, *Valerius Maximus*, cujus sunt, cum effusæ laudes in humanitatem, clementiam, benevolentiam, verecundiam, in omnes denique virtutis species, tum insectationes gravissimæ in luxuriam, libidinem, iram, odium, crudelitatem, ultionem, avaritiam, et omnia vitia. Inter hæc, ea præcipue notanda sententia : Virtutem omnibus patere, neque ullam personarum acceptionem ab ea fieri; cujus aditus ne servis quidem præclusi sint [2].

Labeo Antistius, animi ferocia et morum atrocitate notus, quamvis juris civilis disciplinæ præcipuam operam daret, tamen ceterarum bonarum artium non expers fuit. Nam auctor est A. Gellius hunc in « grammaticam atque dialecticam litterasque antiquiores altioresque penetrasse, latinarumque vocum origines rationesque percalluisse; eaque scientia ad enodandos plerosque juris

[1] Fabius, x, 1. — Hor., l. II, s. 4.

[2] « Non ergo fastidioso aditu virtus excitata, vivida ingenia ad se penetrare patitur; neque haustum sui *cum aliquo personarum discrimine* largum malignumve præbet, sed omnibus æqualiter exposita, quid cupiditatis potius quam quid dignitatis attuleris, æstimat : inque captu bonorum suorum tibi ipsi pondus examinandum relinquit, ut quantum subire animo sustinueris, tantum tecum auferas. » (Lib. III, c. 4, *De patientia*.)

laqueos usum fuisse [1]. » Eumdem vocat in quadam Epistola Atteius Capito « legum atque morum populi romani jurisque civilis apprime doctum. » Præter commentarios duodecim tabularum, scripserat de sacris rebusque divinis; ideo nonnunquam a B. Augustino memoratur [3]. Idem, si Augustino credimus, Platonem in numero semideorum collocabat; unde haud immerito conjicias eum fuisse platonicum.

Restat ut aliquid dicamus de Horatii amicis et æqualibus, qui eo veluti philosopho suo utebantur. In primis occurrit *Iccius*, non solum doctrina, sed et vita sapiens : nam ex pythagoreis fuisse videtur [4]. Tum, *Lolliorum maximum*, in scholis eo tempore declamantem, quem Flaccus hortatur ut philosophorum et legat opera et colat amicitiam, libenter crediderim non incassum ea consilia accepisse [5]; hinc certe patet non defuisse bonæ indolis adolescentibus magistros qui, cum in lubrico adolescentiæ titubarent, eos ad rectam vivendi viam revocarent. Profecto *Quintius ac Numicius*, quibus mittebantur Epistolæ, quasi medullam stoicorum

[1] *Noct. att.*, l. XIII, ch. x.

[2] *Ibid.*, l. XIII, ch. xii.

[3] Hæc de Labeone Augustinus : « Labeo, quem hujuscemodi rerum (id est sacrarum) peritissimum prædicant, numina bona a numinibus malis ista etiam cultus diversitate distinguit, ut malos Deos propitiari cædibus, et tristibus supplicationibus asserat, bonos autem obsequiis lætis atque jucundis : qualia sunt, ut ipse ait, ludi, convivia, lectisternia. » (*De civit. Dei*, l. II, ch. xi.) — « Sed ne de verbis etiam nos certare videamur, quoniam nonnulli istorum, ut ita dixerim, dæmonicolarum, in quibus et Labeo est, eosdem perhibent ab aliis angelos dici, quos ipsi dæmones nuncupant, etc. » (L. IX, 19.) — Labeo etiam duos dicit uno die fuisse defunctos et occurrisse invicem in quodam compito, deinde ad corpora sua jussos fuisse remeare, et constituisse inter se amicos se esse victuros, atque ita esse factum donec postea morerentur. (L. XXII, 28.) — Vid. et. l. IX, 19. — L. III, 25. — A. Gellium, l. I, ch. xii.

[4] Carm. L. I, od. 24. — Epist. xii.

[5] Epist. L. I, 2, 18.

præceptorum continentes, ad ea studia satis proni erant, nec parum in iis versati, cum et intelligere doctrinam et ea delectari possent. Denique, Epistola quæ *Bullatium* monet ne vitam inquietam ac sibi gravem per maria terrasque circumferre et jactare velit, pro documento est sapientiæ præcepta quasi animi medicinam a plerisque adhibita [1].

Age, transeamus ad Græcos Romæ tunc philosophantes.

Præcipuus certe locus *Philodemo* Epicureo dandus, cujus operum non contemnenda fragmenta ex herculanensibus non ita pridem cineribus eruta sunt [2] : nisi quis forte nos reprehendat quod hunc philosophum, Ciceronis æqualem, temporibus Augusti annumeremus. Qui, cum Gadareus esset [3], Romæ vitam degit, nec sine fama. Nam a M. Tullio vir optimus simul et doctissimus audit[4]; idem a Calpurnio Pisone expetitus et invitatus, istius contubernio usus est. Scripsit *de rhetorica* libros in quibus ostendere sibi proposuit quam vana sit ars dicendi, quam parum ad vitam componendam et rem publicam administrandam utilis : nec mirum si ita sentiebat Philodemus, quoniam in placitis Epicureorum fuit eloquentiam aspernari, et a rebus publicis pariter atque dicendi facultate recedere [5]. Est alter ejusdem de *dicendi libertate* liber, quem, ut opinor, composuit ut doceret quo modo philosophum deceat mores amicorum

[1] Epist. VI, X, XI.

[2] Herculanensium voluminum quæ supersunt, tom. I-VI (Neapoli).

[3] Strabo, l. XVI.

[4] *De finibus*, l. II, ch. XXXV.

[5] Vide Philodemi de rhetor. libros (Edidit Gros.). — Epicureorum opinio hæc erat : οὐδὲ ῥητορεύσειν καλῶς, οὐδὲ πολιτεύεσθαι. (Diog. Laert. X.) — De eorum secta M. Tullius : « Minime aptum ad dicendum genus. » (Brut. 35.) — Eodem ferme modo rhetores Philodemus increpat quo Plato olim sophistas objurgabat.

regere et ad virtutem blande ac leniter inclinare[1]. Ipse pro virtutis magistro C. Pisoni fuit, adolescenti ad voluptatem promptissimo, a quo est pejor factus, nedum ad meliorem frugem illum reduceret. Nam cum isto uteretur familiariter, lasciva finxit carmina[2], et discipuli sui libidines cecinit, ut videre est apud Ciceronem, qui de ea re, Epicureis parum honesta, lepide jocatus est. Dignus est certe locus qui afferatur : « Itaque, inquit, » admissarius iste (Calp. Piso), simul atque audivit a » philosopho voluptatem tantopere laudari, nihil exspiscatus est : sic suos sensus voluptuarios omnes incitavit, sic ad illius (Philodemi) hanc orationem adhinniit, ut non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis » a se illum inventum arbitraretur.... Quid multa? » Græcus facilis et valde venustus, nimis pugnax contra senatorem populi romani esse noluit. Est autem » hic de quo loquor, non philosophia solum, sed etiam » cæteris studiis, quæ fere cæteros Epicureos negligere » dicunt, perpolitus. Poema porro fecit ita festivum, » ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius : in quo reprehendat eum licet, si qui vult, » modo leviter, non ut improbum, non ut audacem, » non ut impurum, sed ut Græculum, ut assentatorem, » ut poetam..... Rogatus, invitatus, coactus, ita multa » ad istum de isto scripsit ut omnes libidines, omnia » stupra, omnia cœnarum conviviorumque genera, » adulteria denique ejus delicatissimis versibus expresserit.... Qui si fuisset in discipulo comparando meliore fortuna, fortasse austerior et gravior esse potuisset ; sed eum casus in hanc consuetudinem scribendi-

[1] Τῶν κατ' ἐπιτόμην ἐξεργασμένων περὶ ἠθῶν καὶ βιῶν, ἐκ τῶν Ζήνωνος βιϐλίων ... ὅ ἐστι περὶ παῤῥησίας. (T. V.)

[2] Vid. Antholog. XI, 44 de die natali Epicuri Epigramma. — Horat., Sat. I, 2, v. 121.

» induxit philosopho valde indignam [1]. » Multa alia conscripserat opera Philodemus quorum, sive reliquias, sive titulos tenemus. Est in herculanensibus voluminibus *liber de musica*, ubi hanc sententiam animadvertas : « minime ad colendos Deos musica opus esse, quoniam Dii musicæ non egeant [2]. » Reperias etiam de Homero *commentarios*, « quam utilis sit vitæ et moribus hic poeta ; » quod et Horatius in Epistola ad Lollium edisseruit [3]. In libro *de Diis* Epicureorum decreta tüetur, Stoicorum vero opiniones oppugnat [4]. Cynicos etiam lacessivit, cum *Philosophorum vitas* scripsit [5]. Inde patet Philodemum acerrimum Epicureæ scholæ fautorem fuisse, nec inglorium [6].

Complures reperio apud Græcos Aristoteli dedisse operam. Nam, præter *Alexandrum illum Ægeum*, de quo modo dixi, *Xenarchus* quidam, Strabonis præceptor, Seleucia oriundus, Alexandriam, mox Athenas, postremo Romam venit, ibique ab Areo Cæsari Augusto traditus non sine gratia vixit. Inter peripateticos a Strabone refertur [7]. *Athenæus*, patriæ ejusdem ac disciplinæ, in amicitiam Murenæ illius receptus est qui de trucidando principe cogitavit. Ob hanc causam Roma profugus Athenæus, mox fuga retractus et conjectus in

[1] In Luc. Calpurnium Pison., ch. XXVIII. — De hoc loco Asconius Pedianus : « Philodemum significat qui fuit Epicureus illa ætate nobilissimus, cujus poemata sunt lasciva. »

[2] Caput II.

[3] Περὶ τοῦ καθ' Ὁμήρον ἀγαθοῦ λάῳ. — Horat. Ep. l. I, 2.

[4] Περὶ τῆς τῶν Θεῶν εὐστοχουμένης διαγωγῆς κατὰ Ζήνωνα. (Neap., t. VI.)

[5] Περὶ τῶν φιλοσόφων.

[6] Aliorum operum quæ adhuc desiderantur tituli : Περὶ πλούτου. — Περὶ ποιημάτων. — Περὶ θανάτου. — Περὶ φαινομένων καὶ σημειώσεων. — Περὶ Ἐπικούρου. — Περὶ χάριτος. — Est etiam liber περὶ κακίων quem dicunt tertio tomo volumin. herculanens. inesse ; at hunc neque librum, neque tomum reperimus.

[7] Strab. l. XIV, XVI.

vincula, crimine tandem absolvitur, sed paulo post ruina domus oppressus interiit [1]. Fuit tunc et *Boethus* [2] quidam Sidonius, Strabonis condiscipulus, quem Simplicius *mirum prorsus hominem* vocat : de iis et eorum scriptis hoc tantummodo notum est, commentarios de Aristotele scripsisse. At fama et ingenio præstantior fuit *Nicolaus Damascenus*, e contubernio Augusti et Herodis : dicitur rubicundi oris fuisse, corporis gracilitate insignis, adeo ut palmula a Cæsare vocaretur, a voluptatibus alienus, animi fortissimi ac patientissimi, tamen dives, ob principis amicitiam; præterea scripsisse de philosophia Aristotelis, de Diis, de cœlo, de anima; aliqui vel existimant *librum de Cœlo*, sub Aristotelis nomine vulgatum, ab eo scriptum fuisse [3].

Ex multis sapientiæ institoribus, quibus Roma scatebat, Strabo mentione dignos censuit *Plutiadem* ac *Diogenem*, Tarsenses homines, circulatores philosophos, qui scholas non imperite in urbibus, ubi spes aliqua lucelli refulserat, instituebant [4]. Iis adscripserim *Theonem* quemdam, stoicum, alexandrini generis, Romam, ut opinor, quæstus causa, advectum. De hac plebe, nihil amplius [5].

Sed non inter gregarios istos *Strabonem* ipsum posuerim, qui commentarios scripserat philosophicos, quique, cum terræ descriptionem exorditur, se illud opus aggressum esse ait, quod philosopho viro sit convenientissimum, et ad diligentem rerum humanarum cognitionem pertineat [6]. Strabonem stoicis adnumerant.

[1] *Ibid.* Vid. et. Bruck., t. II, l. I, ch. II, s. 5, § 1.
[2] Bruck. *Ibid.* — Simpl. de cœlo.
[3] V. Athenæum (l. VI). — Plutarchum (Conviv). serm. VIII.
[4] L. XIV, 5.
[5] Fabr., t. III. Ind. stoic.
[6] V. Procemium.

Eodem ferme modo, pauca sed præclara de arte componendæ historiæ dixit *Diodorus Siculus* : scilicet, terrarum orbem unam esse civitatem a Deo ordinatam: nempe a Deorum Providentia res humanas geri; igitur rerum scriptorem quasi Providentiæ interpretem esse ac ministrum [1].

Ea omnia philosophorum persecuti sumus nomina, ut sic manifesto appareret, sapientiæ studium tunc viguisse vel apud principes civitatis viros vel apud poetas aut scriptores, qui, cum non ex professo philosopharentur, tamen sponte et quadam animi inclinatione, aut philosophos sibi admovebant aut de philosophia ipsi scribebant aliquid. Nec deerant, ut opinor, qui sapientiam contemnerent; nunquam enim fieri potest, quin a multis despiciatur; sed hoc inter Ciceronis ætatem et Augusti tempora interest, quod olim vel boni quidam et honesti viri eam improbabant, nunc autem tantummodo a pessimis aut stolidi et ad terram demissi ingenii hominibus deridetur [2].

[1] « Ὥσπὲρ τινὲς ὑπουργοὶ τῆς θείας προνοίας. » (L. I, c. I.)

[2] Vid. Persium, s. v, sub finem.

IV.

Multa sapienter ac philosophico more dicta in Controversiis ac Suasoriis rhetorum occurrere.

Jam res monet ut tandem aliquando philosophorum scholas adeamus et ipsis sapientiæ doctoribus aures præbeamus, de quibus quæstio est instituta. Nam, quæ de Horatio, Manilio, ceterisque vel scriptoribus, vel claris viris, philosophiæ studiosis diximus, etsi non extra causam videntur, tamen sunt alia majora et magis ad propositum pertinentia, quæ mox absolvemus. Sed antequam ad philosophiæ professores ingrediamur, non frustra, ut opinor, divertemus paulisper ad rhetores : nam, sicut Horatius, aliique, de quibus diximus, eo ipso nobis visi sunt ostendere certissime quæ esset animorum ad ea studia inclinatio, quod ipsi non aperte philosophiam profiterentur, ita rhetorum controversiæ non parum lucis afferre possunt, unde perspicuum sit quid populus romanus de doctrina sentiret et quantum ea imbueretur. Adsit ergo rhetorum cœtus, et testimonium dicat de philosophia.

Non est quod speret aliquis hic integras disputationes afferri posse; nam vix supersunt quædam orationum partes, cætera lacera, abrupta, disjecta, mera fragmenta, confusæ reliquiæ. Tamen ex istis romanæ eloquentiæ ruderibus non modo rhetorici igniculi, sed aureæ et sapientibus dignæ sententiæ, sæpissime effulgent.

Nemini mirum erit si in rhetorum controversiis *loci morales* præsertim occurrant; sunt etiam aliqua ad cæteras philosophiæ partes spectantia : inde exordiemur.

Primum afferemus quæ *de natura animi* dicuntur.

Nam, cum Arellius Fuscus in suasoria de Cicerone peroraret cui mortem minabatur Antonius, hæc orationi interjecit : *corpus solum in hostium manus venire, animum autem neque occidi neque opprimi posse.* Atque ipsum audiamus : « Nihil aliud intercidet quam corpus fragilitatis caducæ, morbis obnoxium, casibus expositum, proscriptionibus objectum. Animus vero divina origine haustus, cui nec senectus ulla, nec mors, onerosi corporis vinculis exsolutus, *ad sedes suas et cognata sidera recurret* [1]. » Hæc est *divinæ auræ particula,* de qua sæpe stoici. Arellius ille rhetoricam docuit Fabianum philosophum, de quo mox longa mentio erit.

De divina Providentia. Virgo quædam Vestæ incesti insimulabatur; cum in eam ageretur, Cestius Pius rhetor, quem inter Epicureos referunt [2], hoc in quæstionem adduxit : « *An Dii immortales humanarum rerum curam agant.* Et si agunt, *An singulorum* agant; si singulorum agant, an hujus egerint. » — At Albutius, apud quem declamabat, ea improbavit, quod non tanquam particulas incurrentes in quæstionem tractasset, sed tanquam *problemata* φιλοσοφούμενα [3]. Idem tamen Albutius sæpe audiit Fabianum disputantem [4].

Sed illa levia sunt et parvi ad rem momenti. Veniamus ad morales sententias multo plures et magis insignes.

De servis. Pater quidam servo filiam collocarat, quod is ab ea abstinuerat cum omnia in eam posset. Accusatur pater in controversia, defenditur. Tum Albutius ille, quem diximus Fabiani fuisse auditorem, negavit servi-

[1] Suas. vi.
[2] Fabricius, Bib. gr. iii. Index Epicur.
[3] Controv. i, 3.
[4] Controv. iii, præf.

tutem jure aut natura esse constitutam : « Dixit *neminem natum liberum* esse, *neminem servum :* hæc postea *nomina singulis imposuisse fortunam*. Denique, inquit, scis et nos nuper servos fuisse. Retulit Servium regem [1]. » Mos erat Albutio in controversiis philosophari, nam legimus in alia controversia : « Hic philosophicum locum (Albutius) introduxit, quomodo magnis calamitatibus animi everterentur [2]. » « Illa intempestiva, ut ait Seneca pater, philosophia, sine modo tunc et sine fine evagabatur [3]. »

De generis nobilitate. Jam ab Horatio elevatam generis nobilitatem vidimus, cum is se humili loco ortum fatetur et suæ conditioni acquiescere affirmat, quoniam nobilitas ex virtute constet, et ille generosus sit qui et fortis, et strenuus [4]. Dignus est etiam memoratu locus quidam ex M. Tullii epistolis desumptus, ubi Ap. Claudium, generis antiquitate stolide ferocem carpit et vehementer increpat : « Quæso, etiamne tu *has ineptias,*
» homo (mea sententia) summa prudentia, *multa*
» etiam *doctrina*, plurimo rerum usu (addo urbanita-
» tem, quæ est virtus, ut stoici rectissime putant), *ul-*
» *lam Appietatem* aut *Lentulitatem* valere apud me
» plus quam *ornamenta virtutis* existimas? Quum ea
» consecutus nondum eram, quæ sunt hominum opi-

[1] Contr. III, 21.
[2] Controv. VII.
[3] Controv. III, præf.
[4] Sat. VI, l. I.

..... Persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem *Tulli* atque *ignobile* regnum
Multos sæpe viros nullis majoribus ortos
Et vixisse probos amplis et honoribus auctos :
Contra, Lævinum, Valeri genus, etc.....

.....Turpi secernis honestum,
Non patre præclaro, sed vita et pectore puro.

Alias Horatius :

Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem. (Ep. II, v. 200.)

» nionibus amplissima : tamen *ista vestra nomina* » *nunquam sum admiratus ;* viros esse, qui ea vobis » reliquissent, magnos arbitrabar. Nec mehercule ali- » ter vidi existimare vel Cn. Pompeium, quem omnibus » qui unquam fuerunt, vel P. Lentulum, quem mihi » ipsi antepono. Tu, si aliter existimas, nihil errabis, » si paulo diligentius (ut quid sit εὐγενεία, quid sit no- » bilitas, intelligas) Athenodorus, Sandonis filius, quid » de his rebus dicat, attenderis [1]. » — Audis? hunc ad philosophorum libros dimittit ! Nam Athenodorus de εὐγενεία scripserat [2].

Non minus recte Silius Bassus rhetor ostendit *omnes homines humili loco ortos*, si communem omnium originem repetamus : « Si possent homines sibi sortem » facere nascendi, nemo esset humilis, nemo egens, » unusquisque felicem domum invaderet. Sed quan- » diu non sumus, natura nos regit, et in quem- » cunque vult casum nos mittit. Hinc sumus æsti- » mandi, cum sumus nostri. Quis fuit Marius, si illum » in suis inspexerimus majoribus ? humilis. In tot con- » sulatibus nihil habet clarius quam se auctorem. Pom- » peium si hæreditariæ extulissent imagines, nemo ma- » gnum dixisset. Servium regem tulit Roma : in cujus » virtutibus humilitate nominis nihil est clarius. Quid » tibi videntur illi ab aratro citati, qui paupertate sua » beatam fecere rempublicam ? *Quemcumque volueris* » *revolve nobilem : ad humilitatem pervenies.* Quid » recenseo singulos, cum hanc urbem possim tibi os- » tendere? nudi stetere colles. Inter hæc tam effusa » mœnia, nihil est humili casa nobilius. Fastigiatis su- » pra tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium. Po-

[1] Cicer. Epist. III, 7.

[2] Fabric. III, Stoic. index.

» tes objurgare Romanos, quod, cum humilitatem suam » obscurare possint, ostendunt. Sed hæc non putant » magna, nisi apparuerit ex parvis surrexisse[1]. »

De misericordia. Etiam Horatius homines sæpe hortatur ut colant humanitatem, aliena vitia leviter ferant, neque se præstent ceteris infensos, sibimet clementes[2]. Eadem apud rhetores : « Nemo pæne sine vitio est ; ille iracundus, ille libidinosus[3].... Nemo sine vitio est ; in Catone moderatio, in Cicerone constantia, in Sulla clementia desideratur... omnes peccavimus[4]. » Huic aderat controversiæ D. Augustus, cum Mæcenate et Vipsanii Agrippæ liberis, quos modo in penates nomenque Cæsarum adsciverat ; tum Porcius Latro, qui declamabat, principem et pueros nuper adoptatos oblique perstrinxit, idque impune : « tantum sub divo Augusto licuit[5]. » — Gallio rhetor, idem, ut opinor, qui Senecæ fratrem Novatum adoptavit, de eodem fere argumento dixit : « *Nulli interdici misericordiam*. Quid, si *flere me » vetes, cum vidi hominem calamitosum*[6]*?* Quid, si » vetes propter aliquod honestum factum periclitanti » favere ? Affectus nostri in nostra potestate sunt. Quæ- » dam enim jura non scripta, sed omnibus scriptis cer- » tiora sunt. Quamvis filius familiæ sim, licet mihi et

[1] Controv. I, 6.

[2] Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam !
Nam vitiis nemo sine nascitur. Optimus ille est
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut æquum est,
Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce,
Si modo plura mihi bona sunt, inclinet : amari
Si volet hac lege, in trutina ponetur eadem. (Sat. III, l. I.)

[3] Contr. IV, 25.

[4] Contr. II, 12.

[5] Et illud præclare dictum, in eadem controversia, a Fabio Maximo : « Omnes aliquid ad nos imbecilli, *alter alterius onera*, detulimus. »

[6] *Ibid.*

» *stipem porrigere mendico*, et *humum cadaveri*. *Ini-*
» *quum* est *collapsis manum* non *porrigere*: commune » hoc jus generis humani est [1]. » — Huic Gallioni Ovidius, ni fallor, consolationem, ob uxoris interitum, misit; eum autem, ut hominem philosophum, alloqui mihi videtur [2]. — Non longe a sententia Gallionis discrepant Aspernas et Arellius; nam ille dixit: « Fortunæ lex est, præstare quæ exegeris. Miserere. Mutabilis est casus : dederunt victis terga victores; et quos provexerat fortuna destituit [3]. » — Hic : « perierat totus orbis, nisi iram finiret misericordia. Aut si tam pertinacia placent odia, parcite [4]. »

De bello, quam sit inhumanum. — Ubi quis homines eodem genere ortos et inter se cognatos dixit, sequitur ut bellum, quod homines inter se hostes facit, detestetur. Ita sentit Fabianus, qui sic ait in controversia : « Ecce instructi exercitus, sæpe civium cognatorumque » conserturi manus, constiterunt, et colles equis utrin» que complentur, et subinde omnis regio trucidatorum » corporibus consternitur, illatorum multitudine cada» verum, vel spoliantium. Si quæsierit aliquis quæ » causa hominem adversus hominem in facinus coegit : » nam neque feris inter se bella sunt; nec si forent, » eadem hominem deceant, placidum proximumque » divino genus. Quæ tanta vos fert ira cum una stirps, » idemque sanguis sitis. Vel quæ furiæ in mutuum » sanguinem egere? Quod tantum malum humano ge» neri, vel sorte, vel fato invectum? an ut convivia po-

[1] Contr. I. I. Hic notandam censeo hanc sententiam : « Fletus humanarum necessitatum verecunda exsecratio est (Excerpt. Cont. VIII, 6).

[2] Sed neque *prudentem* solari *stultior* ausim,
Verbaque *doctorum nota* referre tibi (Ex Ponto, l. IV, Ep. XI).

[3] Contr. I, 1.

[4] *Ibid.* — Addas etiam, si placet : « Ludit de suis fortuna muneribus, et quæ dedit aufert, et quæ abstulit reddit. » (Excerpt. Contr. V, 2.)

» pulis instruantur, et tecta auro fulgeant, parricidium » tanti fuit?... An, ne quid ventri negetur libidinique, » orbis servitium expetendum est [1]? »

Contra pecuniæ cupiditatem ac luxuriam. Is locus poetis, oratoribus et philosophis communis est, neque quidquam magis notum quam Virgilii Horatiique versus, ubi morum lascivia, hominum pravitas, et infamis mollitia increpantur [2]. Neque rhetores ab ea dicendi materia abstinuere. Fabianum audiamus : « Ad » delicias dementis luxuriæ lapis omnis eruitur, cæ» dunturque gentium silvæ.... O *paupertas! quam* » *ignotum bonum es!* Quin etiam montes silvæque in » domibus marcidis et umbra fumoque viridibus. Ut » maria amnesque mutentur, vix possum credere » quemquam vidisse silvas patentesque campos, quos » rapidus amnis ex præcipiti, vel cum in plana infusus » est, placidus interfluit : non maria unquam ex colle » vidisse lata aut hiberna, cum ventis penitus agitata » sunt. Quis enim tam parvis in vita posset oblectare » animum, si vera cognoverit [3]?... »— Silo Pompeius et Albutius in divitias etiam invecti sunt : « Pauperes non venenum timere, » ait Albutius; « *fictiles Deos* » *faciles fuisse* » orationi interjecit Arellius [4]. — Rursus Fabianus : « Noli pecuniam concupiscere. Quid » tibi dicam? hæc est quæ auget discordiam, urbes et » terrarum orbem in bellum agitat, *humanum genus,* » *cognatum natura,* in *fraudes* et *scelera mutua* » instigat [5]. » — Idem de *mundo muliebri* : « Quid

[1] Controv. II, 9.

[2] Horat. Sat. l. I. — Carm. II, od. 2, 12. — Carm. III, od. 18. — Virg. *Georg.* II, v. 500.

[3] Contr. II, 9.

[4] *Ibid.*

[5] Contr. II, 14.

» est quod uxorem dimiseris? numquid premit censum » onerosa sumptibus, et, ut sæculi mos est, in deterius » luxu fluente, muliebris ambitio certamine mutuo in » publica damna privatim insanit? Numquid gemmas, » et ex alieno littore petitos lapillos, et aurum vestem- » que nihil in matrona tecturam concupivit[1]? »

Contra divites. Cum forte de pueris expositis, et quorum membra á domino de industria erant truncata, ageretur, Labienus rhetor (qui Rabienus vocabatur quia passim ordines et homines laniabat) sic exclamavit, oratione ad ipsos auditores conversa : « Principes, » inquit, viri contra naturam divitias suas exercent : » excisorum greges habent, et exoletos suos amputant ; » et quia ipsos pudet viros esse, id agunt ut quam pauci » viri sint. His nemo succurrit delicatis et formosis debi- » libus. Curatis, quis ex solitudine infantes auferat, pe- » rituros nisi auferantur. Non curatis, quod isti beati » solitudines suas ingenuorum ergastulis excolunt ; non » curatis, quod juvenum miserorum simplicitatem cir- » cumveniunt, et speciosissimum quemque, maxime » idoneum castris, in ludum conjiciant. In mentem » vobis venit misereri horum, quod membra non ha- » beant? Quid illorum, quod frustra habent[2]? »

Illa omnia, ut reor, satis erunt ad confirmandum quod antea dicebamus, videlicet doctrinam et sententias philosophorum e scholis in populum magis ac magis manare penitusque animis insidere.

[1] Contr. II, 13.
[2] Contr. V, 33.

V.

De Athenodoro et Areo, aliisque philosophis, qui non in scholis sed in contubernio privatorum sapientiam docebant.

Duo fere genera philosophorum tunc Romæ erant : quorum alii in scholis disputabant, alii in familiam patroni cujusdam recepti, et quasi clientes ejus facti, huic omnem operam curamque assidue impendebant. Sæpe quosdam videre est qui utroque docendi genere utantur, tamen certum est alios alterutri tantum addictos fuisse.

Primum aliquid de philosophis dicamus qui a scholis recesserunt. Illud fuit sapientiæ magistris antiquitus usitatum discipulos quosdam eligere bonæ indolis, illisque adhærere, ut virtutem apud eos adolescentem foverent, animumque adhuc mollem et cereum arbitrio suo fingerent. Eam rationem Socrates, et qui e schola ejus prodiere, secuti sunt. Sed mos ille brevi invaluit, præsertim in sectis quibus præcipua cura erat mores informandi; nempe omnes existimabant nihil æque ad perfectam sapientiam conducere quam si quis custodem innocentiæ suæ, perpetuumque vitiorum censorem advocaret, et illum mentis infirmæ medicum usque secum detineret. Res est satis nota, neque eget exemplis.

Sed quo magis apertum sit quæ essent monitoris hujus officia, quam sedulo, quam diligenter mores *pupilli* sub tutela sapientiæ suæ positi coleret et ad bonam frugem perduceret, audiamus Senecam de ejusmodi disciplina disserentem :

De privata philosophorum disciplina.

Primum ait rem esse utilem prorsus et ab omnibus sapientiæ magistris præscriptam : « Aliquis vir bonus » eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic

» tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam » illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præ» cepit : custodem nobis et pædagogum dedit : nec » immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si pecca» turis testis adsit. Aliquem habeat animus, quem ve» reatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanc» tius faciat. O felicem illum, qui non adspectus tan» tum, sed etiam cogitatus emendat [1]. » — Idem iterum ac sæpe : « Nonne apparet nobis esse opus aliquo » advocato, qui contra populi præcepta præcipiat?.... » Sit ergo aliquis custos, et aurem subinde pervellat, » abigatque rumores, et reclamet populis laudantibus... » Quæ erit illa vox? ea scilicet, quæ tibi tantis clamo» ribus ambitiosis exsurdato, salubria insusurret verba; » quæ dicat : non est quod invideas istis, quos magnos » felicesque populus vocat, non est quod tibi compositæ » mentis habitum et sanitatem plausus excutiat [2]. »

Hoc etiam obiter animadvertamus non tantum præceptum fuisse ut custodem et pædagogum inter æquales et nostri ævi philosophos eligeremus, sed insuper exemplar quoddam eximiæ et perfectæ virtutis inter sapientes ætatum priorum, cujus ad effigiem mores nostros componeremus : « Elige itaque Catonem ; si hic videtur tibi » nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium; » elige eum, cujus tibi placuit et vita, et oratio ; et ip» sius animum ante te ferens et vultus, illum semper » tibi ostende, vel custodem, vel exemplum. Opus est, » inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exi» gant. Nisi ad regulam, prava non corriges [3]. »

Non temere eligendus est et ad se arcessendus ille patronus. « Ex iis autem qui (nunc) sunt, eligamus non

[1] Epist. XI.
[2] Epist. XCIV.
[3] Ep. XI.

» eos, qui verba magna celeritate præcipitant, et com-
» munes locos volvunt, et in privato circulantur; sed
» eos qui vita docent, qui cum dixerint quid faciendum
» sit, probant faciendo; qui docent quid vitandum sit,
» nec unquam in eo quod fugiendum dixerint, depre-
» henduntur. Eum elige adjutorem, quem magis admi-
» reris cum videris, quam cum audieris [1]. »

Hoc ferme modo incipiebat inter discipulum ac magistrum conversatio et amicitia : « Ego, quum vidissem
» indolem tuam, injeci manum, exhortatus sum, addidi
» stimulos, nec lente ire passus sum, sed subinde inci-
» tavi : et nunc idem facio. Sed jam currentem hortor,
» et invicem hortantem... [2]. » — « Locutus est mecum
» amicus tuus bonæ indolis : in quo quantum esset ani-
» mi, quantum ingenii, quantum jam profectus, sermo
» primus ostendit. Dedit nobis enim gustum, ad quem
» respondebit : non enim ex præparato locutus est, sed
» subito deprehensus. Ubi se collegit, verecundiam,
» bonum in adolescente signum, vix potuit excutere :
» adeo illi ex alto suffusus est rubor [3] ! »

Nunc, quam solerter, quantoque studio magister formandis ingeniis manum admovebat ! Nam ratio habenda erat indolis, ætatis, conditionis, qua quisque erat :

[1] Ep. LII. Non aliter Varro in sententiis : « Illum elige eruditorem. Vid. pag. 30.—Erat cum vel alius quilibet ex professoribus liberalium artium pro custode morum eligeretur, ut conjicimus ex inscriptione de Pudente grammatico :

Pudens M. Lepidi L. (latinus) grammaticus.
Procurator eram Lepidæ moresque regebam
Dum vixi. Mansit Cæsaris illa nurus.
Philologus discipulus.

(Hic Lepidus fuit consul ann. 764 ; frater Lepidæ « destinatæ quondam uxoris L. Cæsari et divo Augusto nurus.) Orellius, t. I, ch. II, J. 639.

[2] Ep. XXXIV.

[3] Ep. XI.

« Quod ad duos amicos nostros pertinet, diversa via » eundum est. Alterius enim vitia emendanda, alterius » frangenda sunt. Utar libertate tota : non amo illum, » nisi offendero. Quid ergo? inquis. Quadragenarium » pupillum cogitas sub tutela tua continere? Respice » ætatem ejus jam duram et intractabilem. Non potest » reformari. Tenera finguntur. An profecturus sim » nescio : malo successum mihi quam fidem deesse... » Nec de altero quidem satis fiduciæ habeo : excepto eo » quod adhuc peccare erubescit; nutriendus est hic » pudor : quid quandiu in animo ejus duraverit, ali- » quis erit bonæ spei locus. Cum hoc veterano parcius » agendum puto... impendam huic rei dies; et utrum » possit aliquid agi, an non possit, experiar [1]. »

At, quæ voluptas magistro suberat, qua lætitia exsultabat, si non frustra fuissent conatus! — « Cresco et » exsulto, et discussa senectute recalesco, quoties ex » his quæ agis et scribis, intelligo quantum te ipse su- » pergrederis! Si agricolam arbor ad fructum per- » ducta delectat, si pastor ex fœtu gregis sui capit vo- » luptatem, si alumnum suum nemo aliter intuetur » quam ut adolescentiam illius suam judicet : quid » evenire credis his qui ingenia educaverunt, et quæ » tenera formaverunt, adulta subito vident! Assero te » mihi. Meum opus es [2]. »

Adde magistri et discipuli *litterata colloquia*, *eru-*

[1] Ep. xxv. — Eadem legas apud Philodemum in libro De libertate dicendi, cap. 1, 3, 8. — « Duo genera sunt vituperandi : alterum ex indole leni et urbana, alterum ex aspera natura proficiscitur..... Philosophus benevolus semper est, neque appetens gloriæ, neque auram popularem captans, et ab invidia liber, eaque tantum quæ ad rem faciunt dicit, nec sinit se ad maledicendum abripi aut conviciandum, aut opprimendum, aut nocendum. » (E græco translatum, cap. i.)

[2] Ep. xxxiv.

ditos sermones [1], crebras et sæpe *mutuas admonitiones* [2], cum de communi malo inter se dissererent, et alter alteri animum aperiret, ut videre est in libro *de Tranquillitate* Serenum a Seneca consilia postulantem. Quam mitem, quam vere patriam magister in discipulum indueret amicitiam, quam pius esset erga magistrum discipulus, celebratissimi A. Persii versus ostendunt [3]. Ea autem privata et umbratilis sapientiæ disciplina non modo erudiendis adolescentibus adhibebatur, sed ad omnem, sive ætatem, sive conditionem spectabat. Erat philosophi, sic in privato docentis, mœstos *consolari*, in rebus dubiis incertos dirigere, trepidos confirmare, et si quid fortiter aut agendum aut patiendum esset, *adhortari*. Quo munere fungitur stoicus ille qui, cum a Marcellino de morte deliberante arcesseretur, ita disseruit: « Noli, mi Marcelline, torqueri, tanquam de re magna » deliberes. Non est res magna vivere. Omnes servi tui » vivunt, omnia animalia. Magnum est honeste mori, » prudenter, fortiter. Cogita quandiu jam idem facias. » Cibus, somnus, libido : per hunc circulum curritur. » Mori velle non tantum prudens et fortis, aut miser, » sed etiam fastidiosus potest [4]. »

Sæpe etiam fiebat uti philosophus ipse altero uteretur philosopho quem identidem consuleret, et a quo in dubiis rebus reficeretur. Prosequebatur enim Canum Julium, ad mortem abductum, suus philosophus [5];

[1] « Remove studia totam vitam tractata; mors de te pronuntiatura est. Ita dico disputationes et litterata colloquia, et ex præceptis sapientium verba collecta, et eruditus sermo non ostendunt verum robur animi. » Ep. xxvi.

[2] « De communi malo tecum colloquor. » Ep. xxvii.—*Secreti loquimur*, etc. S. v, 22.

[3] Voyez satir. 5. — Philodemus, loco citato : « Sapiens in dicendi libertate blandus. » Cap. 3.

[4] Ep. lxxvii.

[5] *De tranq. anim.* 14.

Thraseam, novissima opperientem, confirmabat Demetrius, cynicæ institutionis doctor, et cum eo de æternitate animorum disserebat[1]. Seneca eumdem Demetrium, etiam cum maxime apud Neronem esset gratiosus, sibi amicitia devinxerat, et reliotis, ut ait, conchyliatis, secum circumferebat[2].

De quibusdam philosophis qui in eo genere inclaruerunt.

Quoniam illud privatum philosophandi genus explanavimus, nunc de magistris, qui in eo in claruerunt, dicamus aliquid.

Plerique philosophorum Romam migrantium, inter quos modo nominavimus Boethum, Athenæum, Xenarchum, Plutiadem aliosque ejusdem notæ[3], circulatores et quæstuosos homines, hanc docendi rationem maxime sectabantur, quod sæpius cum fructu esset: itaque, ubi quosdam, ut vidimus, commentarios de libris priscorum philosophorum clarissimis ediderant, sibique famam aliquam comparaverant, ita in amicitiam honestissimi cujusque solebant irrepere. Eo ferme modo se res habebat: inde tot commentarii a quopiam tunc in lucem editi. Ea vulgaris et trita ad famam et ad divitias via. Haud aliter ac medici qui, postquam in urbem devenerant, novam aliquam, a semetipsis inventam, medendi rationem jactabant, *ut plures adnarent thunni et crescerent cetaria*[4].

Sed ab isto ardelionum globo Athenodorum et Areum,

[1] Tac. *Ann.* xvi, 34. — « Illustrium virorum fœminarumque cœtus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio, cynicæ institutionis doctori; cum quo, ut conjectare erat intentione vultus et auditis, si qua clarius proloquebantur, de natura animæ et dissociatione spiritus corporisque inquirebat. »

[2] Ep. LXII. — Philodemus : « Si igitur sapientes se mutuo norint, æquo animo velut a seipsis mutuo admonebuntur... ac morsu lenissimo semetipsos mordebunt, et gratiam sibi habebunt. » (Cap. 5.)

[3] Vide in capite III, quæ ad græcos philosophos spectant.

[4] Horat. Sat. I. II, 5.

viros doctrina, ingenio, modestia insignes, excerpamus.

Athenodorus, Sandonis filius, cognomine Cananites, Tarsensis [1]. Hunc Apolloniæ versantem ibique de Stoicorum placitis disputantem secum abduxit Octavius Cæsar sibique junxit. Narrant triumviri mores, in contubernio talis viri, paulatim mitigatos, iramque sæpius erumpentem deferbuisse, morumque lasciviam, in summa potestate effrænatam, modum accepisse [2]. Plutarchus, qui plurima de rebus virisque Græciæ effutivit [3], Athenodorum ait, cum in patriam abiret Augustoque valediceret, principi suasisse ut antequam quidquam aggrederetur, quatuor et viginti ex ordine litteras secum diceret. Nam, senior factus, ab Augusto impetravit ut sibi Tarsum decedere liceret; addidit Cæsar urbi tributorum ac vectigalium immunitatem, et ipsi summum in urbe magistratum, quem obtinuit dum vita illi suppeditavit [4]. Carus fuit etiam Mæcenati, qui cum moneret principem ne philosophis nimium indulgeret, « non alios, inquit, Athenodoros et Areos usque reperies [5]. » Athenodorum perhibent de Aristotelis Categoriis librum scripsisse, quem Cornutus impugnavit; alterum de *officiis*, tertium περὶ σπουδῆς καὶ παιδιᾶς [6]. Laertio si credis, vitia paria esse illi non placebat [7]. Strabo auctor est eumdem Quæstionibus naturalibus dedisse operam [8]. Denique *Consola-*

[1] De Athenodore V. Strab. xiv, 5. — Lucianum περὶ τῶν μακροβίων (c. 21).

[2] Julianus de Cæsaribus. — Dion Cassius, l. LVI. — Zosimus, l. I, c. 6.

[3] Ἀποφθέγματα.

[4] Lucian. *De longævis* (21).

[5] Multa *de Athenodore* dicuntur doctissime *in tractatione* abbatis *Sévin* (Acad. inscript. t. XIII).

[6] *Ibid.*

[7] *Ibid.*

[8] *Ibid.*

tionem Octaviæ, amisso Marcello, scripsit[1]. Ex verbis Ciceronis quæ modo retulimus[2], conjicere licet eum quoque *de nobilitate* aliquid edidisse. At nihil satis certum de ejus scriptis habemus, quia alter eodem tempore, sectæ ejusdem, et eadem urbe oriundus, exstitit *Athenodorus*, cognomine *Cordylio*, M. Catonis amicus[3].

Seneca in libro De tranquillitate animi locum quemdam profert ex Athenodore (huic nostro adscribimus), cui paulisper attendere operæ pretium erit[4]. Jampridem, præsertimque ex quo Romana civitas ab uno regebatur, in libris et in scholis philosophorum de hac quæstione multum disputabatur : *Num sapiens ad rem publicam debeat accedere*. Ita censebat Athenodorus : — Licere quidem sapienti rem populi tractare et honores capessere, modo id agat honeste et civitati prodesse possit. Sed, cum multa et aspera virtutem in turba degentem

[1] Plutarchus (Publicola).

[2] Vide caput 4, *De nobilitate.*

[3] Strabo xiv, 5.

[4] Cap. 3. « Optimum erat actione rerum et reipublicæ tractatione se detinere.... Sed quia in hac tam insana hominum ambitione, tot calumniatoribus in deterius recta torquentibus, parum tuta simplicitas est..... a foro quidem et publico recedendum est. Sed habet ubi se etiam in privato lare explicet magnus animus..... Ita delituerit ut, ubicumque otium suum absconderit, prodesse velit et singulis et universis, ingenio, voce, consilio. Nec enim is solus reipublicæ prodest qui candidatos extrahit, et tuetur reos, et de pace belloque censet : sed qui juventutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopia, virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes prensat ac retrahit, et si nihil aliud, certe moratur, in privato publicum negotium agit. An ille plus præstat, qui inter peregrinos et cives aut urbanus prætor adeuntibus adsessoris verba pronuntiat : quam quid sit justitia, quid pietas, quid patientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid deorum intellectus, quam gratuitum bonum sit bona conscientia?..... Nam si omnem conversationem tollimus, et generi humano renuntiamus, vivimusque in nos tantum conversi, sequetur hanc solitudinem, omni studio carentem, inopia rerum agendarum... Quare nihil turpius est quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem. »

assiliant pericula, satius est publicam personam exuere aut fugere. Num vero in otium se penitus abscondet ibique torpebit? Minime; *sed alia est persona sapienti convenientissima. Nempe homines justitiam, fidem, fortitudinem, mortis contemptum, Dei naturam, animi originem privatus docebit.* Ad eum concurret optimus quisque et ad amplectendam ejus amicitiam fiet ambitio. Unde illi auctoritatis et gratiæ apud populares abunde erit. — Hoc est, quod Athenodorus assignat sapienti munus : *Virtutem docere et celebrare*, quam pulchra sit et viro digna, *prædicare; adolescentium animos præceptis informare, censuramque morum exercere.* Quem ille magistratum, non datum a populo, sed sponte susceptum, explebit, virtute suas fasces prætendente.

Athenodorus autem vehementer dissentit a Cicerone, qui negat curam rerum publicarum a philosopho omittendam, quique ipse rem publicam studio sapientiæ anteponebat [1]. At, mutatis temporibus, hominum sententiæ mutantur. Seneca quidem censet Athenodorum *nimis se temporibus submisisse, nimis cito a rebus publicis refugisse,* desperato et fracto animo; jubetque sapientem non adeo reformidare pericula, neque, si quid adversi ingruat, deficere, sed omni ope atque opera eniti ut res sibi et patriæ bene succedant; tum demum, si conatus frustra fuerint, recessurum [2]. Idem vero non secum constat: nam sectandum otium, deserendam rempublicam multis locis affirmat, amicosque ut ita faciant cohortatur [3]. Adeo, his temporibus, illa Atheno-

[1] *De rep.* I, c. 5. — De off. I. XXI.

[2] *De tranq. anim.* c. 3.

[3] *De brev. vit.* XVIII. Apud Varronem legimus : « Ex tribus porro illis vitæ generibus, otioso, actuoso, et quod ex utroque compositum, hoc tertium sibi placere asseverant. » (Locus ex libro de Philosophia ab August. allatus. — *De civ. D.* XIX, 3.)

dori apud philosophos prævalebat opinio : otium cum litteris et philosophia honesto cuique multo esse convenientissimum !

Etiam conjectura ducor ad suspicandum eumdem Athenodorum de *Beneficiis* aliquid scripsisse, cum hæc in Seneca legam : « Quidam ultro officia nostra nobis imputant. Athenodorus ait, ne ad cœnam quidem se iturum ad eum, qui sibi nihil pro hoc debiturus sit [1]. » In decima Senecæ epistola et hanc clarissimam sententiam inveni, ex Athenodori libris deprromptam : « *tunc scito te esse omnibus cupiditatibus solutum* cum eo perveneris, ut *nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam.* » Ita est, non modo fortia a philosophis præcipiebantur, sed et sancta.

Hactenus de Athenodoro. — Areus, Alexandria ortus, percarus Augusto fuit, adeo ut post pugnam Actiacam illi pœnam urbis condonaverit [2]. Notissima est *Consolatio*, qua erga Liviam usus est ; nisi quod contendi potest a Seneca fictam fuisse [3]. In ea nihil molle et effœminatum, omnia severa, fortia, vel aspera. Ceterum, idem est Consolationis color, quam Ovidius Liviæ scripsit versibus ; quoniam profecto tunc id moris fuit

[1] *De tranq. anim.* VI.

[2] Julianus epist. LXII. — Dio Cassius, l. LI.

[3] « Illa (Livia) in primo fervore, cum maxime impatientes ferocesque sunt miseriæ, se consolandam Areo philosopho viri sui præbuit, et multum eam rem profuisse sibi confessa est..... Hic, ut opinor, aditus illi fuit, hoc principium apud feminam opinionis suæ custodem diligentissimam : — Usque in hunc diem, Livia (quantum quidem ego sciam, assiduus viri tui comes, cui non tantum quæ in publicum emittuntur, nota sunt, sed omnes quoque secretiores animorum vestrorum motus), dedisti operam ne quid esset quod in te quisquam reprehenderet. Nec id in majoribus modo observasti, sed in minimis, ne quid faceres, cui famam, liberrimam principum judicem, velles ignoscere..... Proinde, ne submiseris te, imo contra fige stabilem gradum ; et quidquid onerum supra cecidit, sustine, primo duntaxat strepitu conterrita. » (Ad Marc. IV.)

[4] Imposuit te alto Fortuna, locumque tueri
Jussit honoratum, Livia : perfer onus.

virtutis nervos potius intendere quam succidere. Videre est, si verbis Arei attenderis, quantum in familiaritatem patronorum philosophi descenderent, quam nihil illis abditum aut dissimulatum : nempe animus illis patebat omnis et conscientia aperiebatur [1]. Ea severitas Arei Liviam alloquentis, ea in tractandis vulneribus asperitas inest orationi qua stoicus ille, de quo supra, Marcellinum cohortatur ut mortem sibi consciscat; nec aliter Seneca patrem, amisso filio, lugentem objurgat potiusquam consolatur [2].

Quod si libet scire, aut certe suspicari quomodo reges vel principes, cujus contubernio utebantur, philosophi monerent ut virtuti studerent ac sapientiæ, paulisper huic sermoni attendamus quem cum rege quodam Syriæ *Musonius*, Senecæ æqualis, habuit. — Ingressus erat ad Musonium philosophum rex Syriæ, qui tunc Romæ versabatur; ille, cum multa alia ad regem, tunc hæc disseruit : « Ne tibi persuadeas cuiquam esse magis » quam tibi philosophandum, nec id ob aliam causam magis quam quia rex es. Est enim regis posse homines » conservare ac beneficiis afficere; id autem facturum ne» cesse erit scire quid homini bonum aut malum sit, quid

Ad te oculos auresque trahis ; tua facta notamus ;
Nec vox missa potest principis ore tegi.
Alta mane, supraque tuos exsurge dolores;
Infragilemque animum, quod potes, usque tene.
An melius per te virtutum exempla petemus
Quam si romanæ principis edis opus ? »
(V. 349.)

[1] « Cui non tantum quæ in publicum emittuntur, nota sunt, sed omnes quoque secretiores animorum vestrorum motus..... » (Ad Marc. 4.)

[2] « Solatia exspectas? convicia accipe. Tam molliter tu fers mortem filii? Quid faceres, si amicum perdidisses? Decessit filius incertæ spei, parvulus : pusillum temporis periit. Causas doloris conquirimus, et de fortuna etiam inique queri volumus : quasi non sit querendi causas præbitura, etc..... » Ep. xcix.

» obsit, quid utile, quid inutile..... Ea autem discernere
» non alius est quam philosophi.... Constat igitur regi
» esse philosophandum... Justus vero erga cives quo-
» modo esse poterit, si justitia quid sit ignoret?... Ad
» hæc regem temperantem esse oportet et subditos ta-
» les reddere : quo autem pacto temperans erit, cum
» imperare cupiditatibus haud didicerit? Aut quomodo
» luxuria diffluens alios reddet temperatos? Hæc autem
» sola dat philosophia.... Quapropter rex ab ea ita
» instructus maxime Deo similis est et reverentia dignus[1].
» Deinde fortitudinem acquirere, eloquentia omnes
» superare regem oportet. Postremo, ut omnia uno
» verbo contraham, nec in loquendo, nec in agendo
» rex unquam deficiat aut delinquat, omnique in re
» consummatus sit[2]...... » Tum rex Musonio petendi
quodcunque vellet facultatem dedit. Cui respondit Musonius : « Peto ut orationi meæ, quam adeo laudas, obsequaris. Nam et mihi hoc pacto munus gratum facies, et tu ipse majorem inde quam ex ulla re alia utilitatem consequeris. »

[1] Θεοπρεπής τε καὶ αἰδοῦς ἄξιος...
[2] Ex Stobæo, sermo 46, de regno. (Transtulit e græco Gesnerus.)

VI.

De Philosophis qui sapientiam in scholis docere profitebantur. — Sextius uterque, Sotio, Attalus, Fabianus. — De romana secta et latine docentibus magistris. — Quam accensa fuerint discipulorum in philosophiam studia; quanta fama magistrorum.

Plurimæ, vel ante principatus tempora, philosophorum scholæ in Urbe institutæ sunt, sed græce docentium. Ne ars quidem dicendi tum latine docebatur, quoniam Crassi censoris edicto latini rhetores Roma fuerant ejecti [1]. At, ineunte principatu, aliqui vel ex honestis viris et ingenuis, vel etiam ex equestri ordine, rhetorica præcepta latine tradere cœperunt, inter quos Blandus, et Seneca pater, multique quorum nomina et controversias habemus [2]. Philosophos, ante Augusti Cæsaris ætatem, latine disputasse non mihi videtur, cum profecto, si res ita se habuisset, M. Tullius mentionem ejus aliquam in libris suis injecisset, nec credi possit, ejectis rhetoribus, philosophos esse conservatos. Ubi vero Romanorum plerique doctrinam diligentius pertractarunt, et nonnulli scriptis eam persecuti sunt, tum sermo latinus, excellentium ingeniorum cura perpolitus ac ditior factus, nec jam re-

[1] Duo de philosophis ac rhetoribus edicta fuere : prius edictum est senatus, anno 593, adversus philosophos græcos : alterum est censorum, anno 662, adversus rhetores latinos, quoniam « præter consuetudinem ac morem majorum esset » latine rhetoricam doceri : quo magis de philosophia putandum est. L. Plotium primum latine docuisse rhetoricam, se puero, Cicero auctor est; is profecto, post edictum, docere desiit. — Sed, paulo ante principatum, videmus aliquos rhetores latinos rursus exsurrexisse (V. Sueton. — Plutarch. (*De Antonio*). — Senecam Contr. II, præf.) — De hac omni re legas doctissimos viros *Naudet* (Acad. inscript. t. IX) et *Egger* (Thesim de Inst. puer. ap. Rom.)

[2] V. Controv. l. I et l. II præf. « Ante illum (Blandum) intra libertinos præceptores pulcherrimæ disciplinæ continebantur : et minime probabili more, turpe erat docere quod honestum erat discere. »

rum majestati impar sustinendæ, explicandis philosophiæ præceptis et disputationibus peragendis adhiberi cœptus est. Igitur contendi potest, eo tempore, exstitisse Romæ simul Græcorum scholas, numero multo majores, quia Græci doctores in urbem continuo immigrarent, simul aliquas latinorum philosophorum scholas, tunc primum subnascentes [1]. De utroque genere scholarum huc afferemus quod ex certissimis monumentis deprompsimus aut conjectura potuimus assequi.

Q. Sextius pater, romani generis philosophus, et equestris, ut videtur, ordinis, Romæ docuit, Julio Cæsare et Augusto florentibus. Qui cum sponte et magno impetu, relictis honoribus, sapientiam esset amplexus, et in ea parum proficeret, quasi fractus animo de morte quærenda cogitavit, et in eo fuit ut sese præceps in mare jaceret. Mox ad sanam mentem revocatus, et studiorum tenax, Athenis audiit philosophos, deinde ipse Romæ scholam aperuit [2]. Latum clavum, D. Julio dante, non accepit, quod intelligebat quæ dari possent, posse et eripi [3]. Is docuit quidem *græce, sed romanis moribus*, ut ait Seneca, philosophabatur. Nam vir erat acer, sententiis elatus, audax; huic vehemens oratio, grande aliquid et ferox spirans, et movendis animis idonea : quæ cuncta sunt magis romani viri, quam græculi [4]. Itaque Seneca hunc multo anteponit cavillatoribus ac nugatoribus quo- Q. Sextius pater.

[1] Aliquis non stulte contendat *Amafinium* et *Rabirium*, aliosque ejus notæ, qui primi omnium latine scribere de philosophia cœperunt, et primos in scholis latine docuisse.

[2] Vide tractationem *Burigny* (Acad. Inscrip. xxx).

[3] « Honores repulit pater Sextius qui *ita natus ut rempublicam deberet capessere*, etc... » Ep. xcviii.

[4] « Sextium ecce cum maxime lego, *virum acrem, græcis verbis, romanis moribus philosophantem.* » (Ep. lix.) — At hæc forte de Sextio altero, hujus filio, dicuntur. Sed, ut infra videbimus, idem ingenium, eadem oratio utrique suppetebat.

rum ingens semper in philosophia fuit numerus [1]. Hoc igitur habuit Sextius proprium ac peculiare, romani roboris nervos, et cum vividos illos et quasi militares animos in libris aut in disputationibus adhibebat, stoicæ præcepta doctrinæ roborare et quasi inflammare videbatur. Eum igitur adscribemus philosophis, licet græce dixerit, qui Ciceronis vestigiis insistentes, sapientiam romanæ indoli aptavere.

extius alter, prioris filius.

Ejus filius *Sextius*, in patris schola, ni fallor, docuit, eodem ferme modo [2]. Nam quæ Seneca affert ex ejus aut verbis aut libris excerpta, grandia sunt, fortia, romanæ et stoicæ virilitatis : « *Solebat Sextius dicere, Jovem plus non posse quam bonum virum. Plura Jupiter habet, quæ præstet hominibus : sed inter duos bonos non est melior, qui locupletior. Jupiter quo antecedit virum bonum? diutius bonus est... Credamus*

[1] « Lectus est deinde liber Q. Sextii patris, magni, si quid mihi credis, viri, et licet neget, stoici. Quantum in illo, dii boni, vigoris est! quantum animi! hoc non in omnibus philosophis invenies. Quorumdam scripta clarum habent tantum nomen : *cætera exsanguia sunt*. Quum legeris Sextium dices : vivit, viget, liber est, supra hominem est, dimittit me plenum ingentis fiduciæ. In quacumque positione mentis sim, cum lego hunc (fatebor tibi), libet omnes casus provocare, libet exclamare : Quid cessas, Fortuna? congredere. Paratum vides. Illius animum induo, qui quærit ubi se experiatur, ubi virtutem suam ostendat,

Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.

Nam hoc quoque egregium Sextius habet, quod et ostendet tibi beatæ vitæ magnitudinem, et desperationem ejus non faciet. Scies illam esse in excelso, sed volenti penetrabilem. » (Ep. LXIV.)

[2] Apud Suetonium et Quintilianum legimus *Sextios, Sextiorum scholam.*— De altero Sextio B. Hieronymus, anno quo Christum natum tradit, hæc refert : Sextius Pythagoricus philosophus nascitur.— Vix apud Senecam discernas quæ patris sint, quæ filii, dicta aut scripta : nam de utroque quædam excerpit. Tamen videtur, cum de priore loquitur, ita dicere : *Q. Sextius pater*; cum de altero : *Sextius*. At parvi refert, quoniam utriusque et doctrina et oratio similes sint.

itaque Sextio, monstranti pulcherrimum iter, et clamanti : hac itur ad astra ; hac, secundum frugalitatem ; hac, secundum temperantiam ; hac, secundum fortitudinem... [1]. » — Igitur, eum Sextiis videtur fuisse morem, fortiter, graviter, concitate disputare, et quodammodo concionari, omnesque eloquentiæ faces animis subdere. Quod primus omnium facere instituerat Cicero, qui sæpissime partitionum ac definitionum, in quibus stoici erant multi, angustias ridet, omissisque interrogatiunculis et omnibus aculeis, qui pungunt sed non movent, vela pandebat eloquentiæ, et in libris velut in foro agebat [2]. Et hoc in ea re insigne, quod Sextius uterque romanam indolem et eloquentiam, vel græcis verbis, exhibuerunt [3].

Conjectura etiam ducor ad suspicandum eosdem solitos fuisse multa exempla ex annalibus populi romani, Ciceronis more, depromere, tum etiam popularium studia, consuetudines, usus depinxisse, et hinc vivas voces et vere romanas duxisse. Moveor enim hac imagine qua utebatur Sextius alter, cum sapientem imperatori similem esse diceret : « *Ire quadrato agmine exercitum,*

[1] Ep. LXXIII..

[2] Acad. I, l. II, 35. — Tusc. Quæst. I, 4, 9 ; — III, 6. — *De finib.*, IV, 3. — Parad. I.

[3] Claudianus Mamertus in libro De statu animæ, hæc de Sextiis ait : « Romanos etiam eosdemque philosophos testes citemus, apud quos Sextius pater, Sextius filius, propenso in exercitium sapientiæ studio apprime philosophati sunt, atque hanc super omni anima tulere sententiam : « Incorporalis, inquiunt, omnis est anima, et illocalis atque indeprehensa » vis quædam, quæ sine spatio capax corpus haurit et continet. » Acrius isti, ni fallor, abstrusas rerum rationes ingressi sunt, quam nonnulli nostrates, qui cubiculariis disputationibus de sublimium indage causarum aliquid soporiferum in lectulis oscitantes, perpellente copia tepentium næniarum, stolido laudatore veternosas anilium opinionum suspiciones edormiunt, innexamque veteribus animam corporis claustris includi et contineri decernunt. » (Lib. II, c. VIII.)

ubi hostis ab omni parte suspectus est, pugnæ paratum. Idem, inquit, sapiens facere debet : omnes virtutes suas undique expandat, ut ubicumque infesti aliquid oritur, illic parata præsidia sint, et ad nutum regentis sine tumultu respondeant. Quod in exercitibus his quos imperatores magni ordinant, fieri videmus, ut imperium ducis simul omnes copiæ sentiant, sic dispositæ, ut signum ab uno datum, peditem simul equitemque percurrat : hoc aliquanto magis necessarium esse nobis, Sextius ait... Sapiens autem ad omnem incursum munitus et intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus et contra illa ibit, et inter illa[1]. » — Vividam sane orationem, romanisque auditoribus placentem!

Ex iis quæ jam de utroque diximus, sequitur ut scientiæ morum plurimum operæ dederint. Nam Sextius solebat præcipere iracundis ut, dum ira sæviret, speculum aspicerent, ut fœditate visus a libidine deterrerentur[2]. Idem quotidie, cum advesperasceret, animum interrogabat, totumque diem jam compositum scrutabatur, a se facta dictaque remetiens, et de uno quoque ferens judicium[3]. Inde patet pythagoricum quodammodo fuisse, et aliqua ex eorum institutis probasse, inter quæ *animalium abstinentiam*[4]. Negabat igitur se esse stoicum, quoniam nonnihil ex alia schola traxerat, simul quia romanæ consuetudinis erat non uni sectæ adhærere, cui necessario obtemperaretur, sed placita ex pluribus eligere[5].

[1] Ep. LIX.
[2] *De ira*, II, 36.
[3] *De ira*, III, 36.
[4] Epist. CVIII.
[5] Epist. LXIV. — Q. Sextium patrem studuisse quæstionibus naturalibus inde conjici potest quod Plinius narrat hunc in scientia siderum versatum

Sed in hoc paulisper immorandum esse existimo, remque adnotandam diligenter : fuisse tunc Romæ sapientiæ doctores, romani generis, qui Pythagoram sequerentur, quique animalibus abstinerent, juberentque discipulos adolescentes abstinere! — Quod, ni fallor, pluribus de causis evenit. Primum constat perpaucos fuisse Romæ, florente Tullio, Pythagoricos, nam ille eam sectam exstinctam esse dicit et sepultam, magnamque *P. Nigidio Figulo* laudem tribuere videtur, quod is sit qui jacentem hanc doctrinam possit excitare [1]. Is quidem, multarum rerum cognitione insignis, scripserat de animalibus, de extis, de ventis, de auguriis, de Diis ; idcirco *maximus rerum naturalium investigator* a Macrobio vocatur ; at illi nimis tenue ingenium, oratio subobscura, et parum famæ apud æquales [2]. Etiam *Alexandrum Polyhistorem*, Sullanis temporibus, Pythagorica dogmata amplexum fuisse tradunt ; et *Eudorum* quemdam, florente Augusto, hujus sectæ præcepta perscripsisse ; *Anaxilaum* Larissæum, pythagoricum simul et magicum, ab Augusto Roma ejectum postquam librum edidisset qui inscribebatur Παίγνια ; *Chæremonem* Ægyptium, Alexandrinæ bibliothecæ præpositum, et Alexandri *Ægæi* amicum, de *hieroglyphicis* [3], et rebus *naturalibus*, et *cometis*

Quæ tunc esset schola pythagoreorum in urbe.

fuisse, et cum prædixisset ingentem fore olivarum penuriam, multam vim hujus baccæ collegisse, et opes satis amplas ita quæsivisse. (XIX, 29.) Nemo est qui monendus sit *Sententias* sub Sextii nomine vulgatas, quasque Rufinus e græco in latinum vertit, subdititium opus esse cujusdam christiani hominis.

[1] « Denique sic judico post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina exstincta est quodammodo, hunc exstitisse qui illam renovaret. » (De univers. fragm.)

[2] Macrob., Sat. II, 12. — Aulus Gell. XIX, 14.

[3] Ex hieroglyphicis Chæremonis locum quemdam ingentem ac notatu dignissimum servavit grammaticus *Tetzes* in commentario qui inscribitur εἰς τὴν Ὁμήρου Ἰλιάδα ἐξήγησις. Nam cum contenderet Homero notam

scripsisse : inde videre est sæpenumero Pythagoricos eadem, quæ mathematici, sectatos[1]. Romæ reperimus *Iccium*, Flacci amicum, huic sectæ addictum fuisse[2]. Habebat hoc proprium et singulare illa schola (præcipue cum a viris doctis et honestis, non autem præstigiatoribus colebatur) quod animos ad cœlestia erigebat, et cœno vitiorum expeditos ad cognitionem rerum naturalium et vitæ melioris spem concipiendam traducebat. Erat igitur inter illam pythagoreorum disciplinam et doctrinam stoicorum cognatio quædam, quia utraque eadem fere studia, eadem vitæ instituta laudabat, nisi quod stoicorum secta aliquid præ se ferebat virilius,

fuisse Æthiopum scribendi rationem quæ hieroglyphica est, plurimas species ac figuras, quibus illi utebantur ut res significarent, e Chæremonis libro deprompsit. — « Ὡς ὁ ἱερογραμματεὺς Χαιρήμων φησί· καὶ ἀντὶ μὲν χαρᾶς γυναῖκα τυμπανίζουσαν ἔγραφον· ἀντὶ λύπης ἄνθρωπον τῇ χειρὶ τὸ γενείον κρατοῦντα, καὶ πρὸς γῆν νεύοντα· ἀντὶ δὲ συμφορᾶς, ὄφθαλμον δακρύοντα· ἀντὶ τοῦ μὴ ἔχειν, δυό χεῖρας κενὰς ἐκτεταμένας· ἀντὶ ἀνατολῆς, ὄφιν ἐξερχόμενον ἐκ τινος ὀπῆς· ἀντὶ δύσεως, εἰσερχόμενον· ἀντὶ ἀναβιώσεως, βάτραχον· ἀντὶ ψυχῆς ἱέρακα (accipitrem)· ἔτι δὲ καὶ ἀντὶ ἡλίου καὶ Θεοῦ· ἀντὶ θηλυγόνου γυναικὸς, καὶ μητρὸς, καὶ χρόνου, γῦπα (vulturem)· ἀντὶ βασίλεως, μέλισσαν· ἀντὶ γενέσεως, καὶ αὐτοφύων, καὶ ἀῤῥένων, κάνθαρον (scarabæum)· ἀντὶ γῆς, βοῦν· λέοντος δὲ προτομὴ πᾶσαν ἀρχὴν καὶ φυλακὴν δηλοῖ κατ' αὐτούς· οὐρὰ λέοντος, ἀναγκὴν· ἔλαφος, ἐνιαυτόν· ὁμοίως ὁ φοίνιξ· ὁ παῖς δηλοῖ τὰ αὐξανόμενα· ὁ γέρων τὰ φθειρομένα· τὸ τοξον, τὴν ὀξεῖαν δύναμιν· καὶ ἔτερα μυρία. » — Ex libro qui inscribitur *Revue archéologique*, anno 1851, a mense aprili ad septembrem, hunc locum excerpsimus. Animadvertere viri doctissimi, *Samuel Birch* et *Lenormant*, his Chæremonis verbis multa confirmari quæ *Champollion*, ejusmodi eruditionis princeps, de explanandis hieroglyphicis docuerat.

[1] V. Plinium, l. XIX, 1; — XXVIII, 2; — XXXV, 15. — Euseb. in Chron. — Origen. adv. Cels., l. I. — Fabric., t. III. Ind. Pythagor.

[2] Si forte in medio *positorum abstemius herbis*
Vivis et urtica, sic vives protinus, ut te
Confestim liquidus Fortunæ rivus inauret:
Vel quia naturam mutare pecunia nescit;
Vel quia cuncta putas una virtute minora.....
Verum *seu pisces*, seu *porrum* et *cæpe trucidas*,
Utere Pompeio Grospho..... (Ep. XII.)

Pythagoreorum autem aliquid castius sanctiusque. Utraque pariter cum moribus ætatis flagitiosissimæ digladiabatur. Nam Pythagoreos recentiores morum emendationi studuisse non in dubium venit, quando Sextius nova afferret argumenta cur animalibus abstineretur : quippe, non propter *animorum transmigrationem*, sicuti Pythagoras, id fieri oportere censebat, sed quoniam sic corpus caste haberetur, et coerceretur facilius libidinis temeritas [1]. Atque hinc, obiter, colligamus Romanos Græcorum doctrinam non modo imitatos fuisse, sed et fecisse ampliorem.

Illam igitur doctrinam, pythagoricis stoicisque præceptis mixtam ac temperatam, attulerunt Sextii, coramque populo forti ac magnifica oratione illustrarunt. Ingens adolescentium ad eos factus est impetus, cum propter rei novitatem, tum ob dicentium eloquentiam [2]. Inter discipulos Sextiorum eximium locum obtinuit *Corn. Celsus*, quem Fabius affirmat « non parum multa, nec sine cultu ac nitore » scripsisse [3]. Legitur apud Suetonium, *Crassitium* quemdam grammaticum, cui M. Antonius triumvir filium suum erudiendum commiserat, scholam suam deseruisse et ad Q. Sextium se contulisse [4]. Nec absurde aliquis diceret *Ovidium* eorum fuisse auditorem, et nescio an idem, ut studiis æqualium in doctrinam pythagoricam excitatis indulgeret, Pythagoram ipsum in quinto decimo Metamorphoseon libro induxerit de *animarum transmigatione et animalium abstinentia* disserentem [5]. — At multo claris-

[1] Seneca, Epist. CVIII.

[2] Senec. Ep. CVIII. — Quæst. nat. VII, 32. « Sextiorum nova et romani roboris secta cum magno impetu cœpit. »

[3] Inst. orat. X, 1.

[4] *De Grammat. illustr.*, 18.

[5] Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora : sunt fruges, sunt deducentia ramos

simi hujus doctrinæ sectatores exstiterunt *Sotion* ac *Fabianus*.

Sotion. *Sotion*, Alexandria profectus, Romæ docuit in schola Sextiorum, iis, ut opinor, exstinctis. Hic pythagorica præcepta potissimum explicavisse videtur. Disputationis cujusdam partem, quam de ea re instituit, Seneca, ejus auditor, perscripsit. Nam Sotion argumenta Sextii acriter, concitate, animose tractabat, et eas sententiarum clausulas adhibens breves et acutas, quibus scolastici maxime delectabantur [1]. Itaque clamores faciebat, et studia animorum, eo disputante, flagrabant. Is erat

Pondere poma suo, tumidæque in vitibus uvæ;
Sunt herbæ dulces, sunt quæ mitescere flamma
Mollirique queant; nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia florem.
Prodiga divitias alimentaque mitia tellus
Suggerit, atque epulas sine cæde et sanguine præbet.
Carne feræ sedant jejunia, nec tamen omnes.....
Heu! quantum scelus est in viscera viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animantem animantis vivere letho!.......
Ne facite, et monitis animos advertite nostris:
Cumque boum dabitis cæsorum membra palato,
Mandere vos vestros scite et sentite colonos. (xv, 60-153.)

[1] Epist. cviii. « Docebat (Sotion) quare ille (Pythagoras) animalibus abstinuisset, quare postea Sextius. Dissimilis utrique causa erat, sed utrique magnifica. Hic homini satis alimentorum citra sanguinem esse credebat, et crudelitatis consuetudinem fieri, ubi in voluptatem esset adducta laceratio. Adjiciebat, contrahendam materiam esse luxuriæ; colligebat bonæ valetudini contraria esse alimenta varia, et nostris aliena corporibus. At Pythagoras omnium inter omnia cognationem esse dicebat, et aliorum commercium in alias atque alias formas transeuntium....... Hæc cum exposuisset Sotion, et implesset argumentis suis, « Non credis, inquit, ani» mas in alia corpora atque alia describi?... Non credis nihil perire in » hoc mundo, sed mutare regionem?... Magni ista crediderunt viri! Ita» que judicium quidem tuum sustine; cæterum integra tibi omnia serva. » Si vero sunt ista, abstinuisse animalibus innocentia est : si falsa, fru» galitas est. Quod istic crudelitatis tuæ damnum est? alimenta tibi leo» num et vulturum eripio. »

hominum adolescentium ardor, is impetus ad ea quæ elate, sancte, fortiter dicebantur, ut quidam, ubi e schola discessissent, sese pythagoricis institutis addicerent, et vino atque animalium carne abstinerent, tenui victu, pomis, polenta et profluente aqua vitam tolerantes. Testatur Eusebius ejus doctrinæ claritudinem, cum in computatione annorum, sub finem principatus Augusti, hæc adscribit: Sotio, præceptor Senecæ clarus habetur.

Sunt qui dicant a Sotione librum *de Ira* scriptum fuisse; alii, librum de *successione philosophorum* [1]. Huic fuisse fratrem natu majorem, Apollonium nomine, ex schola peripateticorum, memorat Plutarchus: is cum Sotionis fama obrueretur, adeo non ægre tulit se a minore natu superari, ut contra fratris nomen augere et prædicare conaretur [2]. Sed alii contendunt tres philosophos, Sotionis nomine, exstitisse, omnes Alexandrini generis [3]: quorum unus ætate Ptolemæi Epiphanis floruit et librum *de successione* scripsit; tertius vero peripateticus, Plutarchi æqualis, et Apollonii frater fuit. — Pauca Stobæus ex libro Sotionis *de Ira* collegit, his verbis: « *Sapientibus loco iræ, Heraclito fletus, Democrito risus fuit* [4]. » Alias, cum Sotion *adulatores* carpit: « *Delphini quousque unda subest comitantur nantes, in littus vero nunquam egrediuntur. Sic adulatores in sereno rerum statu manent, sicut qui amicos ad peregrinationem euntes, dum via plana est, deducunt; cum asperior fit, recedunt* [5]. »

Vigebat ferme sub idem tempus *Attalus*, stoicæ institutionis philosophus. Disputaveritne græce parum ha- **Attalus stoicus.**

[1] Athenæus, l. IV. Eunapius, Vitæ sophistarum.

[2] Plutarch., *De amore fraterno.*

[3] Vide *Bruckerum,* t. II, l. I, c. II, sect. 2, § 6.

[4] Stobæus, sermo XX.

[5] *Id.,* sermo XIV.

beo compertum, nam Seneca pater qui hunc laudat in suasoria, id in ambiguo relinquit[1]. Affert quædam ex eo, in Quæstionum naturalium libro tertio, alter Seneca, unde suspicari licet Græcum græce scripsisse. Attalum non parvi fecisse mihi videntur Seneca uterque, nam prior in suasoria sic ait : « *Attalus stoicus... magnæ vir eloquentiæ, ex philosophis, quos nostra ætas vidit, longe et subtilissimus et facundissimus*, cum tam magna et nobili sententia certavit, ut mihi dixisse videatur animosius quam prior[2]. » Seneca philosophus multa ab eodem præclare dicta tenuit et perscripsit.

Non multum absimilis Attali vel doctrina, vel oratio a schola Sextiorum. Nempe eamdem hic præ se fert constantiam, gravitatem, idem robur, eamdem in dicendo sublimitatem; quidquid præcipit, ad servandam corporis et animi castitatem, ad coercendas libidines spectat; cum vitiis manum conserit; laudat paupertatem, victumque non modo tenuem, sed durum et asperum; luxuriam vero, divitias, inanemque seculi pompam increpat, confutat. Acerrimus est in insectandis voluptatibus, in spernendis honoribus : « Attalum memini *cum* » *magna admiratione omnium* sic dicere : — Diu mihi, » inquit, imposuere divitiæ. Stupebam, ubi aliquid ex » illis alio atque alio loco fulserat. Existimabam similia » esse quæ laterent, his quæ ostenduntur. Sed in quo- » dam apparatu vidi totas opes urbis, cælatas ex auro » et argento, et his quæ pretium auri argentique vice- » runt, exquisitos colores, et vestes ultra non tantum » nostrum, sed ultra finem hostium advectas. Hinc » puerorum perspicuos cultu atque forma greges, hinc » feminarum, et alia quæ res suas recognoscens summi

[1] Suasor. 2.
[2] Q. n., l. II, 50.

» imperii fortuna protulerat. Quid hoc est, inquam, » aliud quam irritare cupiditates hominum per se inci- » tatas? Quid sibi vult ista pecuniæ pompa? ad discen- » dam avaritiam convenimus. At mehercules minus cu- » piditatis istinc effero quam attuleram. Contempsi di- » vitias, non quia supervacuæ, sed quia pusillæ sunt. » Vidistine quam intra paucas horas ille ordo, quamvis » lentus dispositusque, transierit? Hoc totam vitam » occupabit quod totum diem occupare non potuit?... » Hoc itaque ipsi mihi dico, quoties tale aliquid præ- » strinxerit oculos meos, quoties occurrit domus splen- » dida, cohors culta servorum, lectica formosis impo- » sita calonibus : quid miraris? quid stupes? pompa est. » Ostenduntur istæ res, non possidentur : et dum pla- » cent, transeunt. Ad veras potius te converte divitias; » disce parvo esse contentus; et illam vocem magnus » atque animosus exclama : Habemus aquam, habe- » mus polentam, Jovi ipsi de felicitate controversiam » faciamus. Faciamus, oro te, etiam si ista defuerint. » Turpe est, beatam vitam in auro et argento reponere; » æque turpe est in aqua et polenta. Quid ergo faciam, » si ista non fuerint? quæris quod sit remedium ino- » piæ? famem fames finit. Alioqui, quid interest magna » sint an exigua quæ servire te cogunt? Quid refert » quantum sit, quod tibi possit negare fortuna? Hæc » ipsa aqua et polenta in alienum arbitrium cadit : liber » est autem, non in quem parum licet fortunæ, sed in » quem nihil. Ita est : nihil desideres oportet, si vis » Jovem provocare, nihil desiderantem. — Hæc nobis » Attalus dixit[1].... » — Hæc cum Attalus peroraret, videbatur quasi divino spiritu instinctus, eoque concionante species animorum vertebantur, et quidquid jus-

[1] Ep. cx.

serat, id auditores facessebant. « Ego certe, quum Attalum audirem, in vitia, in errores, in mala vitæ perorantem, sæpe misertus sum generis humani, et illum sublimem altioremque humano fastigio credidi... Cum vero commendare paupertatem cœperat, et ostendere quam quidquid usum excederet, pondus esset supervacuum et grave ferenti : sæpe exire e schola pauperi libuit. Cum cœperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem; non tantum ab illicitis voluptatibus, sed etiam supervacuis libebat circumscribere gulam et ventrem. Inde mihi quædam permansere, Lucili. Magno enim in omnia impetu veneram : deinde ad civitatis vitam reductus, ex bene cœptis pauca servavi[1]. »

Est ejusdem Attali hæc sententia : « *Malo me fortuna in castris suis quam in deliciis habeat. Torqueor, sed fortiter, bene est; occidor, sed fortiter, bene est*[2]. »

Mitius vero ac placidius dixit de amicitia : « *Nam, ut dicere solebat Attalus noster, sic amicorum defunctorum memoria jucunda est quomodo poma quædam sunt suaviter aspera, quomodo in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat : cum vero intervenit spatium, omne quod angebat exstinguitur, et pura ad nos voluptas venit*[3]. » — Et alias de ea re : « *Attalus philosophus dicere solebat, jucundius esse amicum facere quam habere : quomodo artifici jucundius est pingere quam pinxisse*[4]. » — Sæpe, ut Sextius, imo ut omnes philosophi, solebat uti imagine

[1] Ep. CVIII.
[2] Ep. LXVII.
[3] Ep. LXIII.
[4] Ep. IX.

quæ rem pellucidam et perspicuam faceret : — « Solebat » Attalus hac imagine uti : vidisti aliquando canem » missa a domino frusta panis aut carnis aperto ore » captantem ? quidquid excepit, protinus integrum de» vorat, et semper ad spem futuri hiat. Idem evenit » nobis. Quidquid exspectantibus fortuna projecit, id » sine ulla voluptate demittimus, statim ad rapinam » alterius erecti et attenti [1]. »

Ea erat Attalus in dicendo animi et linguæ libertate, ita impetu abripiebatur ut, cum morum censuram ageret, non semper a regnantibus abstinuerit. « *Ipse regem se esse dicebat : sed plus quam regnare mihi videbatur, cui liceret censuram agere regnantium*[2]. » Sed hoc illi non fuit impune ; nam « *a Sejano circumscriptus solum vertere coactus est*[3]. » Is, quantum sciam, primus omnium philosophorum ab ineunte principatu pœnas potentibus dedit. At ea res nobis aperit quanta esset in scholis dicendi libertas, quantaque dicentium auctoritas, quæ adeo formidaretur. Nam cum omnia in urbe metu perculsa essent, una ausa est philosophia contra dominantium licentiam stare, illisque nunc exprobrare crudelitatem et flagitia, ut Attalus, nunc verbis lenioribus, ut Seneca, humanitatem et clementiam commendare[4]. Quæ ratio non multum discrepat ab illis partibus quas, apud nostros homines, christianæ religionis antistites non ita pridem sustinebant.

Fabianus (Papirius), e schola Sextiorum, docuit facunde et scripsit præclare, utrumque *lingua latina*. Fabianus, stoicus.

[1] Ep. LXXII.
[2] Ep. CVIII.
[3] Suasor. 2.
[4] *De clementia*, I, 19. Attalus de quæstionibus naturalibus libros ediderat ; nam Seneca : « Quanto simplicior divisio est, qua utebatur Attalus noster, qui Etruscorum disciplinam græca subtilitate miscuerat. » (*Q. n.* II, 50.)

Hujus magni facit Seneca, cum libros, tum disputationes. Libros quidem non multo inferiores Ciceronis, Pollionis ac Titi Livii operibus esse ducit : nam in eis esse plurimum facilitatis et copiæ, satis sublimitatis, omnia larga, ampla, perspicua, honesta, nihil captatum, aut contortum, aut nimis exquisitæ polituræ [1]. Ejusdem effigiem Seneca pater his verbis expressit : « Cum repete-
» rem quos unquam bene declamantes audiissem, occur-
» rit mihi Fabianus philosophus : *qui adolescens ad-*
» *modum, tantæ opinionis in declamando, quantæ*
» *postea in disputando fuit.* Exercebatur apud Arel-
» lium Fuscum : cujus genus dicendi imitatus, plus
» deinde laboris impendit, ut similitudinem ejus effu-
» geret, quam impenderat ut exprimeret... Ab hac
» (Arellii explicatione) Fabianus se separavit, et luxu-

[1] « Fabianus non erat negligens in oratione, sed securus : itaque nihil invenies sordidum. Electa verba sunt, non captata ; nec hujus sæculi more contra naturam suam posita et inversa, splendida tamen, quamvis sumantur e medio : sensus honestos et magnificos habent, non coactos in sententiam, sed latius ductos. Videbimus quid parum recisum sit, quid parum structum, quid non hujus recentis polituræ : cum circumspexeris omnia, nullas videbis angustias inanes..... Humilia præterea tibi videri dicis omnia, et parum erecta : quo vitio carere eum judico. Non sunt humilia illa, sed placida, et ad animi tenorem quietum compositumque formata, nec depressa, sed plana. Deest illis oratorius vigor, stimulique quos quæris, et subiti ictus sententiarum : sed totum corpus videris, quamvis sit incorruptum, honestum est..... sed non præstat omnia. Non est fortis oratio ejus, quamvis elata sit : non est violenta, nec torrens, quamvis effusa sit : non est perspicua, sed pura... Ille rerum se magnitudini addixit : eloquentiam, velut umbram, non hoc agens, trahit..... Denique illud præstabit ut liqueat tibi illum sensisse quæ scripsit. Intelliges actum hoc, ut tu scires quid illi placeret, non ut ille placeret tibi. Ad profectum omnia tendunt, et ad bonam mentem : non quæritur plausus... Cum audirem certe illum, talia mihi videbantur : non solida, sed plena, quæ adolescentem indolis bonæ attollerent, et ad imitationem sui vocarent, sine desperatione vincendi. Ceterum verbis abundabat, sine commendatione partium singularum, in universum magnificus. » — Epist. c.

» riam quidem cum voluit abjecit; obscuritatem non » potuit evadere. Hæc illum usque in philosophia pro» secuta est. Sæpe minus quam audienti satis est elo» quitur; et in summa ejus ac simplicissima facultate » dicendi, antiquorum tamen vitiorum remanent vesti» gia. Quædam tam subito desinunt, ut non brevia » sint, sed abrupta. Dicebat autem Fabianus fere dul» ces sententias : et quoties incidebat aliqua materia, » *quæ convicium seculi reciperet*, inspirabat magno » magis quam acri animo. Deerat illi oratorium robur, » et ille pugnatorius mucro : splendor vero velut vo» luntarius non elaboratæ orationi aderat... suasoriis » aptior erat: locorum habitus, fluminumque decursus, » et urbium situs, moresque populorum, nemo descrip» sit abundantius. Nunquam inopia verbi substitit, sed » velocissimo cursu ac facillimo omnes res beata cir» cumfluebat oratio [1]. » Illa cum verbis Senecæ philosophi satis congruunt. Sedebat Fabianus adolescens non modo apud philosophos, sed apud rhetores latinos, et in controversiis ac suasoriis multa dixit commode. Non multum tamen, ut supra vidimus, a vitiis declamationum traxit, cum ei objiceretur antiqua simplicitas, órationque a cultu aliena [2]. Plurima opera conscripserat, inter quæ *de rebus civilibus* libros, satis nobiles; nec non *Quæstiones naturales* attigerat, ut in Consolatione ad Marciam comperimus [3].

[1] Controv. II, præfat.

[2] « Cum Sextium audiret, nihilominus declamabat, et tam diligenter ut putares illum illi studio parari, non per illud alteri præparari..... Apud Blandum diutius quam apud Fuscum Arellium studuit. — (Contr. II præf.) — « Fabiani Papirii libros, qui inscribuntur Civilium, legisse te cupidissime scribis : sed non respondisse exspectationi tuæ. Deinde, oblitus de philosopho agi, compositionem ejus accusas... oratio sollicita philosophum non decet. » (Ep. C.) — « Fabianum disertum et elegantem, orationis, etiam ad nostrum fastidium, nitidæ. » (Ep. LVIII.)

[3] C. 23. — « Dic Ciceronem cujus libri ad philosophiam pertinentes, pœne totidem sunt, quot Fabiani. » Ep. C.

Hæc de ejusdem disputationibus apud utrumque Senecam leguntur : — « Disserebat populo Fabianus, » audiebatur modeste ; erumpebat interdum magnus » clamor laudantium, sed quem magnitudo rerum evo» caverat, non sonus inoffensæ ac molliter lapsæ ora» tionis [1]. » — « Fabianus, vir egregius et vita et » scientia, et, quod post ista est, eloquentia quoque, » disputabat expedite magis quam concitate : ut possis » dicere facilitatem esse illam, non celeritatem [2]. » — « Vultus dicentis lenis, et pro tranquillitate morum re» missus : vocis nulla contentio, nulla corporis asseve» ratio, cum verba velut injussa fluerent [3]. » Abhorruit et Fabianus, sicut Cicero et Sextius, a subtilitate Græcorum et argutiis, nam sæpe dicebat *non subtilitate, sed vi et impetu contra vitia esse pugnandum* [4]. Idem vanas grammaticorum quæstiones et studiorum istius modi futilitatem contemnebat [5].

Fabianum, Attalum, Sotionem et Sextios non scriptis aut eloquentia magis insignes fuisse quam vita et moribus constat. Nempe Seneca eos non tantum admirari, sed et venerari videtur. Hanc illis laudem multis locis tribuit, non fuisse *cathedrarios doctores*, labris tenus philosophantes, eorumque modestiam, veram integramque virtutem circulatoribus et sapientiæ institoribus objicit [6]. Inde illis tanta vis eloquentiæ, multa apud populum gratia, et in adolescentium animos longa dominatio!

[1] Ep. LII.
[2] Ep. XL.
[3] Contr. II, præf.
[4] *De brev. vit.* X.
[5] « Dubitare se interim Fabianus noster aiebat, an satius esset nullis studiis admoveri, quam his implicari. » (*De brev. vit.* XIV.)
[6] « Solebat dicere Fabianus, non ex his cathedrariis philosophis, sed ex veris et antiquis, contra affectus impetu, non subtilitate pugnandum, nec

VII.

Quæ essent, in scholis philosophorum, eorum præsertim qui latine docebant, materia et ratio disputandi ac disserendi.— Quem finem magistri sibi potissimum proponerent.— Quid oratio philosophorum ex rhetorum declamationibus traxerit. — De Proficientibus. — De auditoriis philosophorum.

Clarissimos sapientiæ doctores, Augusti ac Tiberii ætate, extitisse comperimus, quorum alii græce, latine alii disputabant, sed æque omnes elata, forti, magnifica, et Romanis viris prorsus digna eloquentia. Eorum igitur scholis paulo diutius est immorandum, ut diligenter inquiramus qualis esset docentibus ratio disserendi et promptos ad virtutem animos impellendi.

Disputationum materia.

Nullam fere partem philosophiæ ab magistris, eo tempore, aut relictam aut omissam esse crediderim. Nam multos de multis rebus libros a Fabiano, Attalo, Sotione, et Sextiis scriptos fuisse diximus; præterea, An. Seneca, qui eos audiit et legit, plurimas de mund natura, de Deo ac providentia, de animorum æternitate quæstiones instituere solet; nec non dialecticam attingit, unde manifestum est ea tunc omnia omnibus in scholis tractata et disputata. Sed ab eodem accepimus curam longe potissimam moribus impensam fuisse, omnia ad vitæ scientiam relata, quod is studiorum finis sit, et fructus, ut dixerat Cicero, uberrimus[1].

Philosophia moralis.

Sit hoc igitur ante omnia positum eloquentissimos illos doctores in arte vivendi culturaque morum multum

minutis vulneribus, sed incursu avertendam aciem. (*De brev. vit.* x.) — Fabianus adeo teneræ frontis erat, ut quodam die, cum in causa testimonium coram P. C. diceret, pudore et verecundia suffusus omnium in se oculos converterit. » (Ep. ii.)

[1] — Hæc, Lucili, quominus legas, non deterreo; dummodo quidquid legeris ad mores statim referas. » Ep. lxxxix.

esse versatos, nec parum prudentiæ in hoc opus contulisse. Quod ex eorum fragmentis, quæ supersunt, et ipsius Senecæ libris licet suspicari. Hunc sibi finem proposuisse mihi videntur, ut ait Seneca, de Athenodoro, utiles se cunctis præbere, homines præceptis, ingenio, voce juvare[1], et in primis juventutem, in qua sopita jacent virtutum semina, ab illecebris vitiorum abducere, et rapere ad honestissima studia. Idem jam fuerat M. Tullio consilium, qui, cum scribendum aliquid susciperet, de regendis adolescentium animis et ad salutem perducendis cogitabat[2]. At, quantum ea illi egebant medicina, in hoc contubernio flagitiorum degentes, et libidinum omnium ad scopulos offendentes! Testis est Seneca pater qui de moribus adolescentium his verbis querebatur : « Torpent ecce ingenia desi-
» diosæ juventutis, nec in ullius honestæ rei labore vi-
» gilatur. Somnus languorque, ac somno et languore
» turpior, malarum rerum industria, invasit animos.
» Cantandi, saltandique nunc obscœna studia effemi-
» natos tenent; et capillum frangere, et ad muliebres
» blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare
» cum feminis, immundissimis se excolere munditiis,
» nostrorum adolescentium specimen est... In hos nec
» Dii tantum mali permittant ut cadat eloquentia [3]! »
— Non istos quidem omnes ad bonam frugem revocavit philosophia, certe quosdam e libidine traduxit ad virtutem. His nempe audientibus, Attalus contra

[1] *De tranq. an.* 3. — Verba Athenodori.

[2] « Quod enim munus reipublicæ afferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem? his præsertim moribus atque temporibus; quibus ita prolapsa est ut omnium opibus refrenanda ac coercenda sit. Nec vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adolescentes se ad hæc studia convertant. Pauci utinam! quorum tamen in republica late patere poterit industria. » (*De divin.* l. II, c. II.)

[3] Contr. I præf.

luxuriam ac divitias concionabatur, paupertatem, temperantiam, tenuem victum, laudibus extollebat, et quasi pœnas a corpore exigere jubebat[1]. Apud eosdem Sotion de animalium abstinentia disputabat, et optimum quemque hortabatur ut animum hac fœda carne gravem excuteret et vindicaret in libertatem. Sextius vero, dum fortia et virilia præciperet, quasi militiam virtutis his juvenibus indicere videbatur, et nomina scribere, et ad castra philosophiæ abducere, ut cum laboribus, periculis, et fortunæ casibus depugnarent, Deosque æquarent fortitudine. Nonne autem censes ea tunc multis in scholis prædicata esse et gravissime perorata ? Postquam magistri sic convicium seculi moribus fecerant, et turpem ac spurcam vitiorum imaginem adolescentibus exhibuerant, attollebatur eorum oratio, et exemplar virtutis supra homines positum, omni labe integrum, fulgore affuso circumlucens ostentabant. Is erat *sapiens*, qui stans in arduo, et aspero, et confragoso quodam loco, fortissimum quemque adhortari et voce imperatoria sub signis suis congregare videbatur[2]. Sed ne desperatio adeundi teneros adhuc ac parum firmos frangeret, lenioribus verbis, et quadam præcipiendi facilitate et humanitate languentes erigebant. Sextium enim et Fabianum laudat Seneca quod, cum virtutem quam maxime optandam ostenderent, eamdem non aviam facerent[3]. Illis autem eo modo disserentibus, et Catones, Scipiones, Lælios, invictos adversus æqualium vitia viros, collaudantibus, graves, et sanctæ voces erumpebant, unde ipsi vocabantur prudentes et sancti[4]. Aderat enim, et gravita-

[1] « Laudabat Attalus culcitam quæ resisteret corpori. » Ep. CVIII. — De his omnibus, vide caput VI, ubi de Sextio, Attalo, Fabiano, Sotione disseritur.

[2] Vide Senecam (*De Const. sapientis*).

[3] Ep. C. — Ep. LXIV (V. cap. VI).

[4] « Si invenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos,

tem orationis adjuvabat oris severitas, et vultus pallor, qui victas libidines, corpus fame tenuatum, indicabat [1]. Nec, ut opinor, quisquam negabit copiosissimi et subtilissimi ingenii viros, cum assidue præcepta doctrinæ pertractarent, animosque hominum, vitam, mores penitus inspicerent, multa ipsos invenisse, majorumque inventa auxisse et in majus provexisse [2]. Quod si tantummodo in hoc elaborassent ut Græcorum prisca et jam dudum decantata præcepta oratione persequerentur aut libris mandarent, nec verba eorum tanta admiratione essent excepta, nec Seneca tantum ex eorum scriptis se hausisse declarasset [3]. Sed illis multarum rerum cognitio, simul nova inveniendi facultas inerat. Hinc tantus honos sapientiæ habitus, et philosophi quasi in deorum numero positi [4].

Quæstiones naturales.

Quamvis philosophiæ morali plurimum studerent, interdum tamen, ut jam diximus, ad ceteras partes divertebantur. Nam Attalum, Fabianum, Sextium, multorum exemplo, de *rebus naturalibus* scripsisse constat; eamque doctrinæ partem in scholis et in libris sæpe

agnoscimus. » Ep. LIX. — « Compositio virilis et sancta. » Ep. XLVI. — « Compositio verborum mollior quam ut illam tam sanctis fortibusque præceptis præparans se animus pati posset. » — Contr. II, præf. — « Thraseas Pœtus et Helvidius Priscus ab Aruleno Rustico viri sanctissimi vocabantur. » (Suet. in Domit. c. 10.)

[1] « In hoc supercilia subduximus? In hoc barbam demisimus? Hoc est quod tristes docemus et pallidi? » Ep. XLVIII.

[2] Senec. Ep. LXIV.

[3] Varro ait : « Non strenuum appellabis negotiatorem, qui in nullo rem auxit; nec ego hunc philosophum, qui nil invenit. » (*ex Sententiis.*)

[4] « Et ipsam (philosophiam) ut deos, et professores ejus ut antistites colite; et quoties mentio sacra litterarum intervenerit, favete linguis. » (*De vit. beat.* 26.) — « Relinquantur istæ voces illis artibus, quæ propositum habent placere populo; philosophia adoretur. » Ep. LII. — « Ad philosophiam confugiendum est. Hæ litteræ, non dico apud bonos, sed apud mediocriter malos, infularum loco sunt... ab omnibus artibus, etiam apud pessimos (philosophiæ) honor est. » Ep. XIV.

tractatam credimus, quod Seneca ejusmodi studia impense laudat, et suadet amicis ut amplectantur. Ergo, de siderum conversione, de cœli mundique descriptione, vulgo disserebatur : num Deus ipse mundum fabricasset, an natura materiem suppeditante ; quæ conditio nos exspectet vita functos ; unde animos duxerimus, num illi, dilapso corpore, sint perituri [1] ?

Nec iidem *dialecticam* omnino negligebant. Nam hæc et alia sæpe disputabantur : « *An bonum corpus sit? An justitia et fortitudo animalia sint? An sapiens sapienti utilis esse possit? Natura an ars bonum virum faciat* [2] *?* » Quæ Seneca in Epistolis et in *magnis moralibus* persecutus est [3]. Is autem, qui tales argutias non magni faciebat, tamen iis indulget, et stoicorum quæstiunculis sese non raro implicat, quam ob causam, nisi quia in consuetudinem tunc essent receptæ [4] ? Ceterum, hanc philosophiæ partem, spinis ac dumetis horridam, multis placuisse ipse testatur, nam de hoc queritur vehementer, cum *philosophiam* in locum *philologiæ* descendisse, et philosophorum scholas nihil aliud quam *ludos litterarios* esse dicit [5]. **Dialectica.**

Est hic admonendi locus non de omnibus philosophorum scholis, quæ tunc Romæ erant, sermonem nos instituisse, neque, quidquid diximus aut sumus dicturi ad alios spectare quam ad magistros illos sapientiæ qui, cum latine, tum græce, romano more et romanis moribus philosophabantur. De iis enim solis quærere instituimus. Nam, ut opinor, Græcorum plerique Romæ do- **De Græcorum scholis et circulatoribus philosophis.**

[1] De ejusmodi disputationum argumentis, vide *De brev. vit.* 19. — *De secessu*, cap. 32.

[2] V. Ep. CXIII. — *De secessu*, cap. 31.

[3] Vid. Ep. CVI.

[4] Ep. LXXXII, LXXI, LXXIV, LXXVI, LXXXV, CVII, CXVII, CVIII, CX, LXXXVII, XLVIII, LXXXIII, CII.

[5] Ep. LXXI, CVIII.

centium instituta græca pristinumque stoicorum morem retinuerant, id est, cavillationes, sophismata, interrogatiunculas, operosasque ineptias quæ Ciceroni ac Senecæ bilem movent. Ad quos præcipue spectare mihi videtur Senecæ oratio, cum forte istis laqueis implicitus stomachatur, cumque Q. Sextii patris opera, et fere Romanorum libros captioso isto dicendi generi multo anteponit [1]. At eæ Græcorum scholæ non eodem loco atque romanæ nobis ponantur. Idem animadvertam de philosophis istis, pessimæ notæ, qui sapientiam lingua, avaritia, libidinibus dehonestabant. Non de istiusmodi circulatoribus in hoc libro agitur, nec laudibus Sextiorum, Attali, Fabiani labem inspergant, quoniam nihil inter istos, et romanæ sapientiæ antistites, nisi philosophiæ nomen, commune est. A nemine vero ista fæx ac sentina philosophiæ acerbius objurgata est quam ab ipsis sapientiæ sectatoribus. Ne te ad poetas, sive ad Plautum, Terentiumque, sive ad Horatium reveham, audi, quæso, M. Ciceronem, audi Senecam de falsis philosophis querentes, et Serapiones, Aristones, vehementer increpantes [2]. Nunc flagitiosos Græculos Horatii Lucianique flagello verberandos relinquamus, et ad romanas scholas revertamur.

De ratione disputandi. Quoniam diximus quæ potissimum esset in scholis

[1] « Instituunt, disputant, cavillantur : non faciunt animum quia non habent. Quum legeris Sextium, etc... » Ep. LXIV.

[2] « Scrutabitur scholas nostras et objiciet philosophis congiaria, amicas, gulam ; ostendet mihi alium in adulterio, alium in popina, alium in aula : ostendet mihi lepidum philosophum Aristonem qui in gestatione disserebat... Hos mihi circulatores, qui philosophiam honestius neglexissent quam vendunt, in faciem ingeret. » Senec., Ep. XXIX. — « Illos quoque nocere nobis existimo, qui nos sub specie stoicæ sectæ hortantur ad vitia. Hoc enim jactant : solum sapientem et doctum, esse amatorem. Solus apte ad hanc artem, æque combibendi et convivandi, sapiens est peritissimus. » Senec., Ep. CXXIII. — « Videre licet alios (philosophos) tanta levitate et jactatione, iis ut fuerit didicisse melius ; alios pecuniæ cupidos, gloriæ non

philosophorum *materia* disputandi, nunc quæ fuerit in iisdem disputationibus *ratio dicendi* exsequamur.

Primum occurrit scire num, quæ *disputatio vocabatur*, *ea esset oratio perpetua*. Cicero auctor est, olim in scholis philosophorum, disputantium quemque defendere solitum esse quod ipse sentiret, et postquam quid ab aliquo esset explicatum, contra dici a ceteris [1]. Inde rei nomen *disputationis* accessit. Ille mos vero obsoluit, quamvis ab Arcesilao et ab ipso Cicerone aliquatenus servatus sit [2]. Igitur, eo tempore, vigebat in scholis *explicatio quædam perpetua*, nomine quidem, sed non re, disputatio. Nam ubi auditor quæstionem posuerat (θετίκα dicebantur), incipiebat magister, et perpetue disserebat, ceteris silentibus [3]. At, ne ipsam quidem quæstionem mox ab auditoribus positam fuisse crediderim, sed sponte a disserente susceptam et electam, arbitrioque ejus explicatam, quam *scholam* vocabant [4]. Inde ille *disserere* dictus est; inde discipuli *auditores* nominati, quoniam nihil aliud quam audiebant. Quod et in morem rhetorum ipsorum, eodem tempore, cessit : nam quidam ex magistris non jam discipulorum dicta corrigere et carpere singulorum, sed artis præcepta tradere fusius solebant [5]. Neque contendere

nullos, multos libidinum servos : ut cum eorum vita miserabiliter pugnet oratio. » (Cicer. *Tusc. Q.* II, 4.)

[1] *De finibus*, l. II, c. 1.

[2] *De finib.*, l. II, 4. — *Quæst. Tusc.* I, 4. — IV, 4. — Ex fragmentis Philodemi suspicari licet Epicureos Dialogis et prisco disputandi more magis quam perpetua et fusa oratione usos fuisse ; nam is oratorum facundiam et ubertatem increpat, dialogos vero et disputationes laudibus extollit. (Vid. Rhetor. — Ed. Gros.)

[3] *De finib.*, l. II, 4. « Qui quæsivit aliquid, tacet... ubi enim is qui audire vult ita dixit : « Voluptas mihi videtur esse summum bonum, perpetua oratione contra disputatur. »

[4] « Ne me tanquam philosophum putetis scholam vobis aliquam explicaturum ; quod ne in philosophis magnopere unquam probavi. » (*De finib.*, l. II, c. 1.)

[5] Contr. IV, 25. « Florus aiebat se non esse magistrum, sed exem-

ausim pristinum dicendi genus plane omissum fuisse, nec unquam eo usos fuisse magistros et auditores, sed affirmabo perpetue dicendi rationem magis placuisse, et eum ipsum, qui dissereret, contra dicentium responsa et objecta ante occupasse, et in orationis contextu posuisse ac diluisse : quod in Senecæ libris passim reperias, præsertim in eo qui *de Ira* inscribitur. Cum in promptu sit cognoscere qualis esset olim illa prior disputandi ratio, Tulliique in operibus, nec non in satiris Horatii [1] fuerit adhibita, huic recentiori orationis generi, quod torrentis modo profluebat, paulisper attendamus.

De usu partitionum. Disputatio *partitiones* recipiebat. Eas a recentioribus philosophis inventas ait Tullius [2]. Sæpissime occurrunt in libris Senecæ, et quodammodo in satiris Horatii, ubi res quæque ordine suo digeritur [3]. Iis usos esse doctores in scholis certissime dixerim.

De usu et loco argumentorum. Postquam rem, de qua erat disputaturus, posuerat magister, et partitionibus in membra certa diviserat, eam confirmabat argumentis stricte primum et presse, more stoicorum ; ut in Quæstionibus Tusculanis, præsertim in quatuor et decem incipientis Libri quarti capitibus videre est. Tullius enim se primum dialecticæ remis processurum, deinde eloquentiæ vela explicaturum profitetur [4]. Est quod putemus hanc incipiendæ disputationis rationem in romanis scholis servatam,

plum ... initio contumeliæ causa a deridentibus discipuli Latronis auditores vocabantur : deinde in usu verbum esse cœpit ; et promiscue poni pro discipulo auditor. Hoc erat non patientiam suam, sed eloquentiam vendere. »

[1] Sat. III, l. II. (*Damasippus* et *Stertinius*.)

[2] « Philosophorum more, non veterum quidem illorum, sed eorum qui quasi officinas instruxerunt sapientiæ, quæ fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur. » (*De leg.*, l. XIII.)

[3] *De ira, De clementia*, I ; *De Provid.*, I. — Sat. I, 1 ; — Sat. II, 3.

[4] *Q. Tusc.*, IV, 4, 5.

nam Seneca ait aliam esse docentis, aliam cohortantis orationem[1]. Et ille ipse in quibusdam epistolis primo utitur argumentis, mox iis omissis, libere vagatur et suo more perorat. Hac priore disputationis parte continebantur *decreta*, quibus omnis doctrina innitebatur.

Id autem, ut jam diximus, inter stoicos græcos et romanos maxime interest quod illorum oratio fere tota argumentis et partitionibus acutis ac subtilibus constabat, hi vero eloquentiæ genus, movendis animis magis idoneum, insuper adhibebant. Nam, postquam rem propositam stabilierant et quasi fundaverant argumentis, acrius ac vehementius agebant, disputationemque ignibus concionum incendebant. *Concionandum* in vitia, in mala vitæ *perorandum*, ait Cicero; haud aliter Seneca, vitia deploranda ac lugenda esse affirmat[2]. Idem in Lucilio laudat oratorium robur, et vigorem ingenii, grandem et rectam orationem, animosque facientem[3]. Nec remissius aut exilius dicebant magistri illi quorum audaces elatasque sententias attulimus, quosque Seneca tanto studio prosequebatur, et velut exemplar sibi proponebat. Ideo, quod de Cicerone ac Seneca dicimus, et de illis dici potest. Haud frustra aliquis, cum de Romanis philosophis cogitabit, oratores sibi adesse ante oculos finget, *contra fortunam superbe, contra vitia aspere, contra pericula animose, contra ambitionem contumeliose dicentes*; ab iis audiet *luxuriam objurgari, libidinem traduci, impotentiam frangi*; eritque eorum disputatio *oratorie acris, tragice grandis, comice exilis*[4]. Eosdem, si libet, *athletis aut gladiatoribus* simi- Concio ac cohortatio.

[1] Ep. XXXVIII.

[2] *Tuscul.*, I, 49.— *De brev. vit.*, X.— Epist. XXXVIII, LXXXVII. « Putemus nos ad concionem vocatos... Vide præterea Ep. LXXXIII, LXXXVII, XLVIII. Si possumus, fortius loquamur; sin minus, apertius. » (Ep. LXXXVII.)

[3] Epist. XIX, XLVI.

[4] Ep. C.

les esse dixeris : videntur enim sententiis suis fortibus et acutis instructi et armati quasi in acie stare, et pugnam provocare ; in philosophiæ spatio, velut in campo aut in arena, luctantur et digladiantur, *summa opum vi* nervos tendentes, telaque orationis vibrantes, ut more romano, hostem feriant. Hinc illis aliquid imperiosum et minax ; hinc ampla vox et omnia magnum sonantia ; hinc ad auditores oratio frequenter conversa, et exclamandi consuetudo, hominesque ac deos compellandi[1] : quæ cuncta profecto turgida, inflata, modum excedentia contenderis, certe generosi spiritus et ingentis animi plena fatebere.

Eo genere dicendi animos a vitiis deterrebant et ad bonum impellebant : ea *concio*, ea *cohortatio* dicebatur. Nunc ad ceteras disputationis partes pergamus.

Morum descriptio.

Erat etiam quæ dici potest *morum descriptio*, et ars quædam *notandi* ac *depingendi* omnia quæ vitii aut virtutis effigiem præ se ferunt[2]. In ejusmodi descriptionibus immorabantur, res singulas persequendo ac plenius dicendo, quo mali fœditas virtutisque pulchritudo manifestior fieret et audientium animis penitus insideret.

xempla.

Sumebant quoque passim *exempla* ex annalibus gentium, præsertim populi romani, deprompta, et invictam Catonis constantiam, inviolatam Reguli fidem, denique præstantissimi cujusque singulares virtutes extollebant, et ipsorum quasi formam ac lineamenta deduce-

[1] *De Provid.*, 2. « Aggredere, *anime*, diu meditatum opus, eripe te rebus humanis ! » etc., etc. — « Ecquid erubescitis ? quod tam cito fit, » timetis diu ? » (*Ibid.*, VI.) — « Vides illam arborem, brevem, retorridam, infelicem ? pendet inde libertas. Vides jugulum tuum, guttur tuum, cor tuum ? effugia servitutis sunt, etc. » (*De ira*, III, 15.) — « Quid cessas ? Fortuna ! congredere ! paratum vides ! » (Ep. LXIV.)

[2] Vide Ep. XCV ubi de his rebus dat præcepta An. Seneca.

bant[1]. Referebantur præclare dicta et facta, et de iis disserebatur.

Necnon *versus* e carminibus poetarum excerpebant, more græco[2]. Nam M. Tullius priscorum latinæ linguæ poetarum e fontibus haurire solet, Seneca vero, recentiorum. Idem apud rhetores usurpabatur[3]. **Versus afferebantur.**

Præterea, quo magis perspicua et pellucida vel tardis ingeniis esset oratio, neque ulla argumentorum aut præceptorum cuiquam officeret obscuritas, ponere solebant *imagines*, ut de Sextio Attaloque accepimus, quibus hærentem auditorem adjuvarent aut torpentem excitarent. Pleræque a moribus romanis, rebusque notissimis ususque quotidiani sumebantur, sicut quæ frequenter adeo occurrunt de bello, aut de ludis circensibus, aut de gladiatoribus. Suppeditabant quoque omnis generis artes argumenta *similitudinum*; namque ars medendi, aut scientia rerum naturalium, et ipsæ plebeiæ ac serviles operæ aliquid subministrabant dicenti unde lucem rebus aridis ac subobscuris affunderet. **Imagines et similitudines**

Neque a *fabellis* abhorrebant, sed eas disputationi intermiscebant, ut ipsi rhetores [4]. Quam avidi, quam curiosi earum homines essent vel documento esse potest *Valerii Maximi* liber, quem credas ad id esse scriptum ut rhetoribus ac philosophis largiretur unde depromerent. **Fabellæ.**

Magna quoque illa pars disputationis erat, qua *præcepta* continebantur. Nam tum quid omnis ætatis, conditionis, generis, hominibus esset convenientissimum, **Præcepta, admonitio.**

[1] Ep. xcv. — Sicut ait Varro : « Elucentissimum est edocendi genus exemplorum subditio. » (Ex Sententiis.)

[2] « Animadvertebas versus ab his (Græcis) admisceri orationi. — Ac multos quidem a Dionysio stoico..... — Studiose equidem utor nostris poetis. » (Cicer., *Q. Tusc.*, II, 11.)

[3] Vid. Suas. IV, VI.

[4] Controv. III, 18. « Gravis scholasticos invasit morbus, etc. »

quid quærendum aut fugiendum, quantopere animus excolendus, quid præcavendum ne quis in pejus incideret, quæ languentibus remedia adhibenda, indicabatur [1]. Ne multa, nihil non perspexisse, nihil non in intimis humani animi recessibus pernovisse illi magistri videntur, nihil non excogitasse ut prodessent hominibus [2]. Quo modo ea pars ab eis absolveretur, satis ex operibus Senecæ patet. *Admonitio* vocabatur [3].

Suasio, consolatio, excussæ audientibus lacrymæ.

Denique, ea etiam virtute pollebant, non qua vehementes illi et graves, ut jam dictum est, concitantur affectus, sed quæ hos mites et lenes movet, quos *mores* vocant. Nam cum oratio per præcepta parum proficeret, nec satis valeret *admonitio*, tum utebantur *suasione*, aut si res postularet, *consolatione* [4]. Tunc illis lenior, et quasi familiaris sermo; tunc non magistrum philosophus sed amicum gerebat, et blande in animos illapsus, conscientiam perscrutabatur audientium, eosque de se confiteri, ut reos manifesti comprehensos, cogebat. Nonnunquam oculis lacrymæ suboriebantur [5]; atque, ut nunc fit in concionibus sacris, oratorem vicisse audientis fletus significabat.

Senecam de tradendis eloquentiæ philosophicæ præceptis cogitasse.

Eo ferme modo apud philosophos disserebatur, non semper eodem; nam, ut ait Seneca, sunt quæ *probationem*, sunt quæ *admonitionem* postulent; nec in omni re *cohortationes concionumque* faces adhibebant, nec apud

[1] Epist. cxv. Hic Seneca edisserit de usu et virtute præceptorum, quomodo adhibenda, quid inter hæc et decreta intersit. — Necnon legas Ep. xciv.

[2] *Ibid.*

[3] « Admonitio fit per præcepta et exempla. » (Ep. xcv.)

[4] Ep. xciv, xcv.—« Nihilominus interveniebat dulce illud et loco lene.» (De Lucilio, ep. xlviii.)

[5] « Moveat ille (Marcellinus) mihi risum : ego fortasse illi lacrymas movebo. » Ep. xxix.

quoslibet auditores doctrinæ *decreta* vulgabantur [1]. At ratio dicendi, qua utebantur, ordine quidque suo, prout usus poscebat, collocabat. Non silentio prætermittam Ann. Senecam consilium cepisse artem quamdam aliquando tradendi, qualis in dicendo sapientes deceat, et *philosophicæ eloquentiæ* speciem et formam adumbrandi [2].

Nunc qui fuerit Romanis philosophis *scribendi color*, quæ verborum *elegantia*, quæ *compositio*, hoc uno absolvam : — Philosophorum oratio plurimum e contubernio rhetorum traxit. Nam quod de Fabiano Papirio adnotavimus, qui simul apud philosophos et scholasticos sedit, modo in *controversiis suasoriisque*, modo in disputationibus versatus, hoc de ceteris adolescentibus dicendum est. Igitur, celebrata a declamatoribus verba, pingue et adipatum dicendi genus, argutas brevesque sententias, translationes audaces, figurasque extra modum positas, e rhetorum scholis in sacraria sapientiæ immigrasse dixerim [3]. Jam ipse Fabianus fastidium movebat, ob parum cultam orationem, et prioris sæculi simplicitatem [4]. In illo desiderabantur aculei subitique ictus sententiarum, et gemmæ dictionis, verborumque fulgores : et ipse (quis credat !) Seneca Lucilium monet ut dicendi genus simplex, apertum, et candidum secte-

[1] Ep. xcv.

[2] V. ep. LII, ubi de philosophorum oratione, et studiis audientium Seneca disserit : « Permittendum erit aliquando juvenibus sequi impetum animi (id est plaudere); tunc autem hoc ex impetu facient, cum silentium sibi imperare non poterunt. Talis laudatio aliquid exhortationis affert ipsis audientibus, et animos audientium exstimulat. Ad rem commoveantur, non ad verba composita. Alioqui nocet illis eloquentia, si non rerum cupiditatem facit, sed sui. *Differam hoc in præsenti. Desiderat enim propriam et longam exsecutionem, quemadmodum populo disserendum, quid sibi apud populum permittendum, quid populo apud se.* »

[3] Ep. cxiv, cxv.

[4] Ep. c.

tur, ambitiosaque ista præcidat ornamenta [1]. Neque tamen omnino nihil commodi hinc philosophiæ fluxit. Etenim, cum rhetores solerent quærere quid in quaque re dici felicius aut excogitari acutius posset, sententiæ philosophorum illa rhetorica ornatæ pompa altius animis insederunt eosque pellexerunt blandius; simul, cum et ipsi eniterentur philosophi ut aliquid solerter excogitarent, sæpenumero invenere præclara, quæ quidem antiqua doctrina olim continebantur, sed abdita penitus ac defossa: at illi has nitentes divitias, et quasi nova metalla, e visceribus sapientiæ eruere.

Philosophorum auditoria. Præterea, philosophis necesse erat audientium studiis morem gerere, et quidquid isti adamarent, non plane negligere. Nempe etiam qui coronæ assentationem minimi faciunt, iis tamen indulgent quæ improbant, ut, si non clamores facere, certe audiri possent. Hoc ergo genus dicendi cultum et amœnum, quod erat sæculi auribus accommodatum, secuti sunt. Fuisse multa et celebratissima, eo tempore philosophorum auditoria, ex Senecæ scriptis suspicamur. Stipendia non omnibus magistris data esse satis constat. Piget enim credere venalem fuisse Sextiorum, Sotionis, Attali, Fabiani eloquentiam; quam Seneca non tanti fecisset, si venum isset. Nam queritur prostitutam esse philosophiam, quod institores non antistites nacta sit, et eodem loco Fabiani

[1] Oratio sollicita philosophum non decet. Ubi tandem erit fortis et constans, ubi periculum sui faciet, qui timet verba? » (Ep. c.) — «Hæc sit propositi nostri summa : quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus. Concordet sermo cum vita. Non delectent verba nostra, sed prosint. Si tamen contingere eloquentia non sollicito potest, aut si parata est, aut parvo constat, adsit, et res pulcherrimas prosequatur. Sit talis, ut res potius quam se ostendat. Non quærit æger medicum eloquentem, sed sanantem.... Quid aures meas scalpis? Quid oblectas? Aliud agitur : urendus, secandus, abstinendus sum. Ad hæc adhibitus es : curare debes morbum veterem, gravem, publicum. » (Ep. LXXV.)

mores impense laudat[1]. Erant, ni fallor, duo scholarum genera, aliis discipulos omnis ætatis accipientibus, aliis non populum, sed paucos et electos admittentibus. Nam quod apud rhetores in consuetudinem venerat, id apud philosophos usurpatum fuisse censeo[2]. Sedebant apud utrosque non solum homines adolescentes, sed viri, vel prætorii, et consulares, et ipse Seneca, fere sexagenarius, Metronactem audiebat[3].

Litterata magistrorum ac discipulorum colloquia.

Eum morem adolescentibus maxime studiosis fuisse reperio, ubi disputatio esset perfecta populusque dimitteretur, apud magistrum manere et cum eo eruditos sermones, aut litterata colloquia instituere, ut, si quid brevius obscuriusve dictum esset, explanaretur[4]. Nec deerant discipulis *commentarii*, qui *summaria*, vel *breviaria*, dicebantur, aut *Indices* philosophorum, unde memoria reficeretur et lapsa resurgeret[5]. Qui sa-

[1] Ep. LII. « Damnum quidem fecisse philosophiam non erit dubium, postquam prostituta est : sed potest in penetralibus suis ostendi, si modo non institorem, sed antistitem nacta est. »

[2] « Labienus declamavit non quidem populo, sed egregie. Non admittebat populum, et quia nondum hæc consuetudo erat inducta, et quia putabat turpe ac frivolæ jactationis. » (Contr. V, præf.) — « Pollio Asinius nunquam admissa multitudine declamavit : nec illi ambitio in studio fuit. Primus enim omnium Romanorum, advocatis hominibus, scripta sua recitavit. » (Excerpt. Contr. IV, præf.) — « Albutius per totum annum quinquies sextiesve populo dicebat, ad secretas exercitationes (ejus) non multi irrumpebant.... alius erat cum turbæ se commiserat ; alius cum paucitatem contempserat..... Memini omnibus illum rebus omissis apud Fabianum philosophum tanto juniorem quam ipse erat, cum codicibus sedere. » (Contr. l. III, præf.)

[3] «Omnes ætatis homines hæc schola admittit. » Ep. LXXVI.

[4] « Hæc nobis præcipere Attalum memini, cum scholam ejus obsideremus, et primi veniremus, et novissimi exiremus ; ambulantem quoque illum ad aliquas disputationes excitaremus, non tantum paratum discentibus, sed obvium. » (Ep. CVIII.) — « Dabat enim sæpe post quotidianas lectiones (Taurus philosophus) quærendi quod quis vellet potestatem. » (Aul. Gell. l. I, 26).

[5] Ep. XXXIX.

pientiæ amore vehementius tenebantur, ii vocabantur *proficientes*[1], id est, qui profectus ad sapientiam facerent, et ad eam composito gradu procederent. In tres classes dividebantur, prout quisque ad perfectam virtutem propius accesserat. Non adeo omnes qui in scholas veniebant, philosophiæ erant dediti amatores; nam multi, ut ait Seneca, longos annos sedent et vix doctrinæ colorem ducunt; multi verba et sonos captant, argutasque aut grandes sententias quas in commentariis suis conscribant, et in vulgus circumferant; multi ad rerum magnitudinem excitantur, sed ubi vox dicentis desiit, fracto impetu, rursus jacent[2].

Plausus. Magno plausu et clamoribus summis auditos fuisse philosophos constat. Iis in scholam intrantibus, circumstrepebant secundæ voces, et popularis favor, studiaque pantomimica[3]. Ubi vero disputare cœperat magister, hinc atque illinc manus auditor intentabat, et super ipsum dicentis caput turba laudantium consistebat[4]. Ipse plerumque, pantomimo aut comœdo similis, vel poetæ

[1] Ep. LXXV.

[2] « Quid ergo? non novimus quosdam, qui multis apud philosophum annis persederint, et ne colorem quidem duxerint? Quidni noverim? pertinacissimos quidem et assiduos : quos ego non discipulos philosophorum, sed inquilinos voco. Quidam veniunt ut audiant, non ut discant : sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philosophi schola diversorium otii sit... aliqui tamen et cum pugillaribus veniunt, non ut res excipiant, sed verba... Quidam ad magnificas voces excitantur, et transeunt in affectum dicentium, alacres vultu et animo; nec aliter concitantur, quam solent Phrygii tibicinis sono semiviri et ex imperio furentes. Rapit illos instigatque rerum pulchritudo, non verborum inanium sonitus... Pauci illam, quam conceperant, mentem domum perferre potuerunt. » (Ep. CVIII.)

[3] « Si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si intrante te, clamor, plausus, et pantomimica ornamenta obstrepuerint, quidni ego tui miserear...? » (Ep. XXIX.)

[4] « Hinc illinc philosopho manus auditor intentat, et super ipsum ca-

carmina recitanti, verba convolvebat magno cursu [1], supplodebat pedem et brachia jactabat [2], auresque otiosorum varia et volubili oratione detinebat [3]. Id quidem fiebat in scholis circulatorum istorum, de quibus modo dictum est, at non, ut opinor, apud sanctissimos et modestissimos viros quos Seneca audiit : namque horum morem, plenum gravitatis, ceterorum levitati opponit [4]. Ægre ferebat Seneca istam parum decentem et philosophorum ambitionem et audientium alacritatem. Aliter in theatro plaudendum esse dicebat, aliter in schola [5]. Idem sentiebat Musonius, ejus æqualis philosophus, qui disputare desinebat, ubi clamores discipuli tollebant : « Similem esse philosophum medici, aiebat; ideo,

put mirantium turba consistit : non laudatur ille nunc, si intelligas, sed conclamatur. » (Ep. LII.)

[1] « Audisse te scribis Serapionem philosophum, cum istuc applicuisset, solere magno cursu verba convolvere, quæ non effundit una, sed premit et urget... hoc non probo in philosopho, cujus pronuntiatio quoque, sicut vita, debet esse composita. » (Ep. XL.)

[2] « Etiam si disputarem, nec supploderem pedem, nec manum jactarem, nec attollerem vocem, sed ista oratoribus reliquissem, contentus sensus meos ad te pertulisse, quos nec ornassem, nec abjecissem. » (Ep. LXXV.)

[3] « Verba rebus proba. Aliud propositum est declamantibus, et assentionem coronæ captantibus, aliud his qui juvenum et otiosorum aures disputatione varia aut volubili detinent. Facere docet philosophia, non dicere. » (Ep. XX.)

[4] Ep. LII. — « Disserebat populo Fabianus, sed audiebatur modeste, etc... » — In Græcis hanc licentiam tuleris... Romanus sermo magis se circumspicit et æstimat, et præbet æstimandum. » (Ep. XL.)

[5] Ep. LII. — Legas, quæso, de ea re præcepta quæ Ep. XL et Ep. LII continentur. In hoc cum Epicureis faciebat Seneca : nam isti, ut apud Philodemum videre est, rhetoricum dicendi genus valde aspernabantur et rhetores ipsos deridebant; eos vocat Philodemus *stolidam et pinguem turbam*, τῶν ἐν τῷ πολιτικῷ τόδε τῶν παχυτέρων πλῆθος. » — Alias, iisdem fere verbis ac Seneca de *actione* quæ philosophum decet, ait : « Καὶ τῷ σοφιστῇ διαφόρως πρᾶξις προσήκει, φιλοσόφῳ δ' ἑτέρα. » (Rhetoric. Column. XX, ch. 2. — Column. XXI, ch. 3.)

qui e domo magistri egrederetur, eum vultu mœsto incedere oportere, vulnusque jam cognitum manu pertractantem [1]. »

[1] Arrianus, III, 23. — Quod memorat et A. Gellius : « Musonium philosophum solitum dicere accipimus : Cum philosophus, inquit, hortatur, monet, suadet, objurgat, tum qui audiunt, si de summo et soluto pectore obvias vulgatasque laudes effutiunt, si clamitant etiam, si gestiunt, si vocum ejus festivitatibus, si modulis verborum, si quibusdam quasi frequentamentis orationis moventur, exagitantur, tum scias et qui dicit et qui audit frustra esse, neque illic philosophum loqui, sed tibicinem canere... Præterea dicebat admirationem, quæ maxima est, non parire verba, sed silentium. » (L. V, c. I.)

VIII.

De Caii Cæsaris et Claudii principatu. — Homines in malis solatia a philosophia petiisse. — De moriendi libidine.

Cum sub finem Tiberii principatus, et Caio Claudioque florentibus, quidquid a principibus sævissimum, quidquid a privatis turpissimum excogitari potest, Romæ celebraretur, neque, corruptis adeo moribus prostratisque omnium animis, ulla spes viro forti ac bono affulgebat fore ut ad meliorem vivendi conditionem unquam recurrerent homines, tum in amplexus philosophiæ optimus quisque se dedit, ubi de malis civitatis ac suis ingemisceret [1]. Ille igitur amor sapientiæ, quem jam dudum in egregiis viris insitum comperimus, fieri cœpit ardentior ac vehementior, et quædam ægra libido philosophandi invasit animos. Non solum, ut temporibus Divi Augusti, otii oblectamentum, torpentisque ingenii honestissimam exercitationem, denique artem recte ac bene vivendi ab ea expetebant, sed cum illo quasi laborantium ac febricitantium impetu ad eam abriperentur, aliquid fortius et efficacius, medicinamque in malis decretoriam efflagitabant, hoc est *moriendi scientiam*. Mox, mutato rerum ordine, mortem commentari loco vitæ fuit. Hinc nescio quid mœsti omnibus philosophantium meditationibus affusum, veluti mortis imagine semper ante oculos obversante; hinc voces quasi subirati animi, et indignantis, et istud ærumnarum contubernium ægre ferentis. Cœpit igitur sapiens magis ac magis sibi hærere, se colere, in seipso omnes

[1] « Illi te totum dedica : dignus illa es ; illa te digna est. Ite in complexum alter alterius. Omnibus aliis rebus te nega fortiter, aperte. » (Ep. LIII.)

spes suas ponere, simul ad omnem vim fortunæ repellendam aptare, terrestribusque vinculis exsolutus in turba velut solus degere et in patria alienigenam gerere.

Neque credas eum res civiles adeo curare ut, aut libertatis, aut regnantium partibus studeat : civitatem romanam exuit, neque pro ullius partibus stat, civis est alius civitatis. Nempe compertum habet sibi æque pericula imminere a plebe, a principibus, a senatu ; æque vitia in foro, in rostris, in aula exerceri [1] ; quæ cuncta eodem loco habet, nulloque adhibito discrimine, fugit aut despicit. Seipso contentus, nullis rebus immixtus, turbam, reges, potentes devitat, ne quid mali ab eis sibi ingruat, sed eos neque offendit, neque ad pugnam vocat [2]. Quid igitur illi agendum honeste ac fortiter superest, ubi illius otii, quo se inclusit, tædere illum cœpit, nisi ut de morte iterum atque iterum cogitet, hanc expetat, arcessat, quæ malorum fugam et lucis importunæ finem allatura sit ? Agit ergo Deo gratias quod homini mortem sibi consciscendi facultatem dedit, et res omnes, laqueos, saxa, ligna, arbores, necis instrumenta, libertatis ministros venerari et amplexari videtur [3].

Illud etiam animorum ægritudinem non parum irritabat quod, quoties sapiens, aversa paulisper ab humanis malis cogitatione, ex isto angulo, tenebris obsito et squalido, in lucem vitæ melioris exsilire conaretur,

[1] « Demus itaque operam, abstineamus offensis. Interdum populus est quem timere debeamus ; interdum, si ea civitatis disciplina est, ut plurima per senatum transigantur, gratiosi in eo viri ; interdum singuli, quibus potestas populi, et in populum data est. Hos omnes amicos habere, operosum est ; satis est inimicos non habere . . . . . sapiens nocituram potentiam vitat, hoc primum cavens ne vitare videatur. » (Ep. XIV.) — « Curia et forum, et loca exercendis in publico vitiis destinata. » (*De const. sap.* VI.)

[2] *Ibid.* (Ep. XIV.)

[3] « Agamus Deo gratias, quod nemo in vita teneri potest. » (Ep XII.)

quæstionemque de futura animarum sorte institueret, hærebat in ambiguo, inter spem ac desperationem incertus pendensque, neque sedem aliquam, ubi quies in posterum fessos maneret, cogitatione præoccupare ac fortiter tenere poterat. Inde ille labor animi, hinc molestia male compositæ mentis, quam vitæ præsentis tædet, et futuræ ignoratio dilacerat. Igitur, ancipiti malo pressus, simul cognoscendi avidus quæ maneant exstinctos, prorumpit ad mortem, vel, antequam opus illud tanti momenti aggrediatur, se quotidie exercet et præparat, formidinemque huic rei et nomini affusam excutit. Inde apud philosophos perpetuæ illæ mortis meditationes, de morte quæstiones, ad mortem cohortationes; inde illæ voces, bonum esse fortiter mori, nihil mali in morte esse, mortis imaginem semper ante oculos proponendam [1]. Inde, tot homines, omnis ætatis ac fortunæ, ruentes ad mortem, et humanum genus vitæ fastidiosum [2].

Is erat, ut mihi videtur, animorum habitus, eo ferme tempore cum Seneca aliique ejus æquales philosophi sapientiæ studere cœperunt.

— « Videsne illam arborem, etc.... » locus jam allatus. (*De ira*, III, 15.)

[1] Ep. XII, 24, 70, 71. — *De tranq. anim.* X.

[2] Ep. XXIV et LXX.

IX.

De Annæo Seneca et A. Persio Flacco. — Quid magistris suis debuerint, quid temporibus. — Quid in ipsis proprium sit ac peculiare.

Annæus Seneca, Fabiani, Attali, Sotionis auditor, multa, ut ipse fatetur, a magistris sumpsit, et plura certe quam quæ ex eorum disputationibus aut libris attulit. Modo adnotavimus atque in ordinem digessimus sententias, quas sub eorum nomine profert, præclaras quidem ac satis multas; præterea, quoties de magistris loquitur, eos summis exornat laudibus, et facundos, et graves, et subtiles fuisse asseverat, librisque eorum se quam maxime uti non negat [1]; unde jure existimes hominem, plurima ceterum legentem [2], magnam vim rerum verborumque ex iis fontibus hausisse. Quod si addas Zenonis, Chrysippi, Epicuri, Metrodori, Theophrasti libros, Posidonium ac Panætium, totamque illam socraticam domum, et bibliothecas græcas, infinita multitudine scriptorum refertas [3], quam non pauca Seneca noster sit imitatus facile conjicies. At, de recentioribus philosophis hic tantum. — Igitur, quoties stoicorum subtilitatem et argutias ridet ac contemnit Seneca, cum Fabiano et Sextio, ne dicam Cicerone, facit [4]; quoties omnia ad mores et ad vivendi moriendique scientiam refert, eorumdem sequitur exempla [5]; cum in divitias, luxuriam, libidinem invehitur, Attalum imitatur [6];

[1] Ep. LIX.
[2] « Quidquid lectione collectum est stilus redigit in corpus. » (Ep. LXXXIV.)
[3] Cicer., *Q. Tusc.*, II, 2.
[4] *De brev. vit.*, X, XIV. — Ep. LXIV.
[5] Vide cap. VII, pag. 45.
[6] Epist. CX.

quando victum tenuem, castum corpus, puram mentem laudat, Sotionis præcepta agnoscas [1]; quando se adversus Fortunæ minas ferocem præbet, invictum laboribus, Diisque parem, succurrunt illi verba Sextiorum [2]. — Age, quæ tractavit in libris argumenta! *De ira* scripsit; dixerat Sextius, dixerat et Sotion; *de vita beata*, omnes; de *otio sapientis*, Athenodorus. *Quæstionibus naturalibus* operam dederant Sextius, Attalus, Fabianus; *Epistolas* conscripserant multi, *Dialogos* T. Livius, *Consolationes*, quilibet. Ergo, ne res altius repetam et ad priscorum monumenta revehar, Senecam ex recentiorum libris, præsertim magistrorum, quos audiit, operibus magnam utilitatem percepisse constat.

Præterea, hoc cum iis habet commune, quod, romano more, non tantum inventa doctrinamque Græcorum interpretatur, sed eligit quæ optima videntur, iisque, ut libet, utitur. Nempe, quamvis e Stoicorum disciplina sit, neque unquam eorum partes deserat, tamen ex Epicureis multa decerpit, pulchra quidem, nec Stoicis indigna. — Romanum etiam philosophandi morem præclare secutus est Seneca, quod doctrinam ingenio, institutis, studiis populi romani accommodavit, et vernaculam eloquentiam in libros ad philosophiam pertinentes transtulit. Orator est, cum philosophatur, et concionatur in disputando. Quodnam vero eloquentiæ genus sectatus est? Declamatorium. Ut Cicero pulchram, et sanam, et elegantem dicendi rationem, ornamentaque gravissima et honestissima adhibuerat; ita Senecam, qui in rhetorum adoleverat contubernio, quique novam et tum maxime placentem eloquentiæ

[1] Epist. CVIII.
[2] Ep. LXIV.

formam in forum attulerat, non deseruit rhetorica concinnitas, et fucatus ille scholarum nitor.

Denique in illo invenias quod ejus ætatis fuit, scilicet nescio quam orationis mœstitiam, ægri animi et de rebus humanis male judicantis indicium, lucis fastidia, et ad properandam mortem impetum. Forte, has communes ævi istius ærumnas, hanc mentis perculsæ desperationem, hæc intima et abdita vulnera, in illo auxerat et valetudo gravis, et propius spectata humanæ potentiæ imbecillitas, fortunæque sævitia, et in metum ac invidiam versa, qua apud Cæsarem et populum vigebat, gratia.

Ea fere sunt quæ Seneca aliis debuit : quid vero sibi proprium et a seipso profectum habuit?

Hoc primum, quod ingenii excellentis copia, sublimitate, subtilitate, magistros suos et æquales admodum superavit, et nominis sui fulgore eorum famam obruit. Quamvis enim doctrinam ipse novam nullo modo excogitaverit, nihilque in decretis placitisque stoicorum immutaverit, sed accepta secutus sit, tamen majorum inventa ampliavit, frugesque opimas ex antiquo illo solo eduxit. Dixit quidem quæ a multis dicta fuerant, sed aliter, sed acutius, gravius, fortius : imo, cum res a veteribus tractatas rursus ipse retractaret, multa quæ adhuc latebant aperuit, involuta evolvit, obscura illustravit. Ipse de se ait : « Veneror inventa sapientiæ in-
» ventoresque : adire tanquam multorum hæreditatem
» juvat. Mihi ista acquisita, mihi laborata sunt. Sed
» agamus bonum patrem familiæ : faciamus ampliora
» quæ accepimus. Major ista hereditas a me ad posteros
» transeat. Multum adhuc restat operis multumque
» restabit : nec ulli nato post mille sæcula præcludetur
» occasio aliquid adhuc adjiciendi. Sed etiam si omnia
» a veteribus inventa sunt, hoc semper novum erit,

» usus, et inventorum ab aliis scientia et dispositio...
» Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non per-
» egerunt : suspiciendi tamen sunt, et ritu deorum
» colendi [1]... » — « Non ergo sequor priores? facio.
» Sed permitto mihi et invenire aliquid, et mutare, et
» relinquere [2]... » — Nempe hominum animos diligentius, quam quisquam antea, inspexit, et altius scrutatus est, et quæ ipse excogitaverat, ornate et magnifice dixit. Præterea, cum multas fortunæ vices pertulisset, modo ex urbana celebritate in exsilium ejectus, modo ab insula deserta in gloriam summi fastigii provectus, ut quæque se conditio offerebat, plura forte quam ceteris observare et animadvertere illi contigit.

Quod si operibus ejus attenderis, invenies illum in exponendis *decretis*, quæ pars est antiquissima et jam pridem fundata stoicæ philosophiæ, claudicare, et explicatione uti abrupta, hiulca, simul et turgida, ac minime sanæ orationis; ob eam sane causam quod, cum nihil ipse novi afferat, resque vulgo notas persequatur, verba saltem mutare et prisca novis vocabulis dicere enititur [3].

Sed altera pars quæ, ut diximus [4], constat ex *præceptis*, longe melius illi succedit. Nam tum, velut e fonte uberrimo, res sponte profluunt, et beata dicendi copia suppetit. Tum quoque dictis ejus inest naturalis quidam color, et prope ad simplicitatem accedens, non ille fucatus et pinguis, nec minutis concisisque referta sententiis explicatio. Tunc non rhetorem agit, sed vere philosophum. Quomodo id fieri dixeris, nisi quia res a seipso magis proferat, nihilque dicat quod non sen-

[1] Ep. LXIV.

[2] Ep. LXXX.

[3] Legas, quæso, librum de *Providentia*, aut de *Const. sap.*

[4] V. cap. VII.

tiat esse verum, aut jam usu cognitum habuerit? Itaque egregius est, quando *admonitiones*, ut diximus, et *cohortationes*, et quæcunque oratoris sunt partes, res postulat : nam oratorium robur apud illum abunde est, et ad concitandos affectus plurimum valet. Inde fit ut præcipuum inter ejus opera locum obtineant Epistolæ, quia præstantes illæ ingenii dotes, quas natura sortitus erat, in hoc dicendi genere multum possunt : scilicet, illa animorum sagacissima exploratio, illa in detegendis arripiendisque vitiis solertia, in præceptis explicandis ubertas, in adhibendis remediis peritia, in affectibus movendis facilitas. Tum leniter fluit ejus oratio, arguta simul et blanda; breves micant identidem sententiæ, eæ quidem rectæ et acutæ; habent etiam ejus verba familiare aliquid et candidum, sermonique propius, et quamdam præ se ferunt bonitatem ac comitatem; non jam tragicum spirat, et pompam sectatur, sensusve grandiloquos; non poetico sono strepit; at pura, et dulcis et inaffectata jucunditas adest, plurimum gratiæ decorisque honesti. Sic irrepit in animos, mitesque affectus ciet, et ad virtutem blande inclinat.

In morum descriptionibus et afferendis exemplis non vitio caret. Nam tum multa ab eo dicuntur inflate, multa supervacue, multa exaggerate; est quod recidere aut attenuare velis. Sæpenumero accidit ut de iisdem rebus, quas ante Tullius attigit, edisserat; ideo si quis alterum cum altero conferat, compertum habebit quantum utriusque oratio discrepet[1].

Denique, ut vel uno verbo quæ dicta sunt concludam, Seneca eumdem fere locum apud æquales, quem Cicero apud suos, mihi videtur obtinuisse. Utrique summum ingenium, et præclara, licet diversa, dicendi facultas;

[1] V. præsertim De *vit. beat.* 7. — *de Prov.* 15. — Ep. XXIV. Multa in his locis dicuntur quæ aliter Cicero dixerat.

uterque priores imitatus est, non ut interpres, sed libere et sponte, nisi quod Seneca plura ipse quam alter invenerit. Uterque romanis moribus, latina eloquentia philosophiam tractavit, et romanis philosophis præbuit exemplar.

Aulus Persius Flaccus philosophis magis quam poetis annumerandus est; nam ejus satiræ nihil aliud sunt quam stoicæ disputationes versibus perscriptæ. Non quidem eosdem ac Seneca audiit magistros, quia minor natu, sed *Cornutum;* at illorum libros certe noverat, nec Cornutus alia fere, quam ceteri sapientiæ professores docebat. De Cornuto pauca dicam; hunc tradunt de *rhetorica simul* et *philosophia* scripsisse, necnon de *natura deorum*[1] : cui pro laude fuit Persium habuisse discipulum.

Persius fama quadam celebratus est, quia subobscurus. Sunt quædam in ejus satiris quæ luce egeant, eo quod de Romanorum moribus, aut rebus tunc temporis in urbe gestis malignam et de industria obliquam censuram exercet, legentibusque minus apertam : at culpa non scribentem penes est, sed legentem, qui caret acumine et satis diligenti rerum cognitione. Sed sunt alia quibus affectata contortaque dicendi ratio, qua ille utitur, tenebras induxit, et de hoc merito illi succensendum. Ea autem in dicendo obscuritas apud Persium jejuni et exilis ingenii indicium est. Hoc enim Persio proprium, quod nihil est in eo proprii, sed omnia aliena. Nulla illi vis excogitandi, nulla inveniendi facultas, sed quæ ceteri in scholis prosa oratione edisserebant, versibus ille persequitur. Cum vero res jampridem notas tritasque attingat, ei necesse videtur, verba immutare, et novo

[1] V. Suidam. — Cornutus Leptitanus erat, et græce docebat. — Vide de eo sat. v. Persii. Exstat liber. *De nat. deor.*, cui Cornuti nomen adscribitur. Studebat etiam versibus Cornutus, et grammaticæ.

quodam ac singulari dicendi genere legentium fastidia vincere. Itaque eas primum angustis includit sententiis et arctat, ne in locis communibus diutius immoretur; deinde verba parum usitata et longe arcessita, plebeia sæpe, pro notis, et rectis, et egregiis : inde prava et insueta et vix latina dicendi ratio. Persium memorant plurimum operæ componendis satiris impendisse, nec miror, nam de ingenio suo supplicium sumere hunc dicas, et sermoni latino vim inferre. Tamen in illo nervos et aculeos reperias; versus non fluunt illaborati, aut feliciter curiosi, sed grande aliquid et quasi tragicum spirant, et qui Virgilii facilitatem aspernabantur, ii erant qui Persiana asperitate gauderent.

Sæpe, cum Persii librum evolvimus, mirari solemus quod Horatium adeo imitatus sit, et illi res et verba surripuerit. Sed hæc mihi causa videtur verissima : non Horatium Persius imitatur, sed uterque stoicos est secutus, et eorum doctrinam, præcepta, sententias versibus illustravit. At, quoniam Flaccus prior materiam tractaverat, Persio fuit necesse aliquid in verbis immutare. Inter eos autem ratio dicendi maxime discrepat : Horatius, etiam cum philosophos inducit disputantes aut ipse philosophatur, non magistrum, sed poetam agit, et quidem satiricum; Persius contra philosophiam ipse docet et Cornuti quasi partes explet, professoriæque severitati accedit. Alter comptus, et nitidus, et venustus, et bene curatæ cutis; alter mœstus, et adductæ frontis, barbatæque sapientiæ pædagogus, non facetus sed iracundus, non ad risum pronus sed ad stomachum.

Dicet aliquis : quum in Persio tam multa reprehendenda invenias, tam pauca vero laudanda, qui fit ut *uno libro multum gloriæ et veræ meruerit?* Illam Persio famam contigisse arbitror quod versibus includeret rerum argumenta tum maxime celebrata, quæ in

scholis, in circulis, in conventibus, in litteratis colloquiis vulgo dicerentur; deinde quod ejus oratio, nervis ac toris plena, modo inflata, modo rustice sonans, non adeo hujus seculi aures offenderet, sed salis abunde et amaritudinis haberet; postremo quod in quoddam genus hominum, honestissimis ac doctissimis viris tunc molestissimum, et in principes odio dignissimos, acriter inveheretur.

X.

De Demetrio Cynico ac Musonio stoico. — De Julio Cano, Metronacte, Moderato pythagorico. — De Lucilio, ceterisque Senecæ amicis, et philosophiæ, Neronis tempore, studiosis viris. — Cur studium Sapientiæ, sub mortem Senecæ, concidere et exstingui visum sit. — Liber concluditur.

Demetrius. Habuit Seneca, etiam cum maxime apud Neronem gratia floreret, in cohorte amicorum *Demetrium*, cynicæ institutionis philosophum. Et hoc prædiviti ac potentissimo viro laudi vertam quod seminudum illum Græculum, omnium rerum indigentem, sed doctrinæ severitate vitæque innocentia probatissimum in familiaritate sua retinuerit.

Demetrius, ut opinor, nunquam in schola docuit, sed, more prisco, apud amicos, vel in conventibus, vel in turba, prout occasio aderat et ferebat voluntas, philosophabatur. Eo usus est Seneca ut severioribus cynicorum institutis licentiam summæ potentiæ in seipso coerceret, seque a luxuria circumfluente defenderet. Ergo quasi morum custodem, virtutis magistrum, et contra publica vitia advocatum arcessiverat. Cujus præclara dicta sæpius in libris Senecæ occurrunt. Nam is in Demetrio laudat paupertatem, non illam quidem affectatam et ambitiosam, sed veram [1]; præterea vivendi genus non modo tenue, sed asperum, animumque in rebus adversis ferocem et laborum amantem [2]. Eum-

[1] Hunc vocat : « virum acerrimum, et contra omnia naturæ desideria pugnantem ; hoc pauperiorem, quam ceteri cynici, quod cum sibi interdixerit habere, interdixit et poscere. » (De Vita beat. 18.)

[2] « Inter multa magnifica Demetrii nostri, et hæc vox est a qua recens sum. Sonat adhuc et vibrat in auribus meis. —Nihil, inquit mihi videtur infelicius eo cui nihil unquam evenit adversi. » (*De Prov.* 3.) « Magnificentior, mihi crede, sermo tuus in grabato videbitur et in panno. Non enim dicentur tantum illa, sed probabuntur. Ego certe aliter audio quæ

dem ostendit fatorum decretis propere obtemperantem, Deorumque providentiæ dicto audientem, imo jussis illius obviam euntem, eaque occupantem. Is quidem dignus est locus qui afferatur : « Hanc quoque animosam » Demetrii fortissimi viri vocem audisse me memini : — » Hoc unum, inquit, Dii immortales, de vobis queri » possum, quod non ante mihi voluntatem vestram » notam fecistis. Prior enim ad ista venissem, ad quæ » nunc vocatus adsum. Vultis liberos sumere ? illos vobis sustuli. Vultis aliquam partem corporis ? Sumite. » Non magnam rem promitto : cito totum relinquam. » Vultis spiritum ? quidni ? nullam moram faciam, quominus recipiatis quod dedistis. A volente feretis, » quidquid petieritis. Quid ergo est ? maluissem offerre » quam tradere. Quid opus fuit auferre ? accipere potuistis. Sed ne nunc quidem auferetis : quia nihil eripitur nisi retinenti. Nihil cogor, nihil patior invitus : » nec servio Deo, sed assentio. Eo quidem magis, quod » scio omnia certa et in æternum dicta lege decurrere. » Fata nos ducunt, et quantum cuique restet, prima » nascentium hora disposuit [1]. » Demetrius multarum rerum cognitionem in sapiente non probabat [2], cum ipse

dicit Demetrius noster, cum illum vidi nudum, quanto minus quam stramentis incubantem ? Non præceptor veri, sed testis est. » (Ep. XX.) Hoc loco mihi Demetrius noster occurrit qui vitam securam et sine ullis fortunæ incursionibus mare mortuum vocat. » (Ep. LXVII.)

[1] De Provid. 5.— Stobæus ex Demetrio hoc affert : « ἀλογιστία μὴ συγχώρειν ταῖς κατὰ τὸν βίον ἀνάγκαις. »

[2] « Egregie enim dicere Demetrius cynicus, vir judicio meo magnus, etiamsi maximis comparetur, solet : — Plus prodesse, si pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promptu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum. Quemadmodum, inquit, magnus luctator est, non qui omnes numeros nexusque perdidicit, quorum usus sub adversario rarus est, sed qui in uno se aut altero bene et diligenter exercuit, et eorum occasiones intentus exspectat. Nec enim refert quam multa sciat, si scit quantum victoriæ satis est : sic in hoc studio multa delectant, pauca vincunt... » (*De benef.* VII, 1.)

virtutis et eloquentiæ non fucatæ, sed ex optima natura proficiscentis, esset exemplar[1]. Extra omnem honorum atque opum cupiditatem positus, et adulatoribus infensus[2], dona a Caio Cæsare oblata non accepit[3]. — Locum quemdam Stobæus e Demetrio affert, in quo ejus eloquentiæ vim, et concisas vibrantesque sententias agnoscere mihi videor : alterna est *fortitudinis* et *timiditatis* oratio. « Fingamus, exempli causa, belligeranti et in acie stanti hinc *Fortitudinem*, illinc *Timiditatem* assistere. Quantum, putas, diversas orationes habebunt! Nonne Fortitudo quidem permanere jubebit et ordinem suum servare? — Sed ingruunt tela. — Sustinendum est. — At vulnerabor. — Tolerato. — Sed moriar. — Morere potius quam relinquas aciem. Hæc oratio dura videtur et immitis. Contra vero *Timiditatis* humana, per Jovem! atque mollis. Nimirum enim recedere jubet trepidantem. — Sed scutum ægre fero : abjicias. — Molestat me thorax. — Ergo resolve. Cui non hæc verba benigniora videntur quam illius? Similiter in aliis rebus usu evenit. Ne capias, inquit *Continentia*, unde non decet. Ne comedas, ne bibas. Sustine, tolera. Deni-

[1] « Paulo ante Demetrium retuli : quem mihi videtur rerum natura nostris tulisse temporibus, ut ostenderet, nec illum a nobis corrumpi, nec nos ab ullo corrigi posse : virum exactæ (licet neget ipse) sapientiæ, firmæque in his quæ proposuit constantiæ : eloquentiœ vero ejus quœ res fortissimas deceat, non concinnatæ, nec in verbo sollicitæ, sed ingenti animo, prout impetus tulit, res suas prosequentis. Huic non dubito quin Providentia et talem vitam, et talem dicendi facultatem dederit, ne aut exemplum sæculo nostro, aut convicium deesset. » (*De benef.* VII, 8.)

[2] Quæst. nat. IV, Præf.

[3] « Demetrio si res nostras aliquis Deorum possidendas velit tradere certa lege, ne liceat donare, affirmaverim repudiaturum... Itaque cum C. Cæsar illi ducenta donaret, ridens rejecit, ne dignam quidem summam judicans qua non accepta gloriaretur... Si tentare, inquit, me constituerat, toto illi fui experiendus imperio. » (*De benef.* VII, 9, 11.)

» que moriare potius quam quidquam indecore admit-
» tas. *Luxuria* vero sic suadet : Ede, cum libet, quod-
» cumque tibi suavissimum fuerit. Placetne vicini tui
» uxor? miscere cum ipsa. Pecuniis eges? accipe mutuo.
» Mutuatus non potes reddere? nihil reddito. Non cre-
» dent tibi amplius ad mutuo dandum? Rapito [1]. »

Demetrius Thraseæ supremis adfuit, fortemque virum cohortationibus ac præclaris de animorum æternitate disputationibus confirmavit [2]. Postea Neronis jussu Roma ejectus est, quod Cæsari responderat : « Tu mihi mortem minaris, natura tibi [3]. » Tunc in Græciam se recepit, Philostrati fabulis si fidem aliquam adjicias, obviumque habuit Apollonium [4]. Demetrium Apollonius Tito, Vespasiani filio commendavit, Titumque Demetrio, missa ad philosophum epistola [5]. Tamen idem cynicus, cum Romam regressus forte Vespasiano occurrisset, illi non salutem dixit, sed nescio quid oblatravit; quamobrem a principe *Canis* audiit [6]. Aliqua e Plutarcho de eodem excerpere in promptu sit, ni insulsa essent, et parum certa [7]. — Ceterum animadvertendum est *duo et quinquaginta Demetrios*, philosophiæ doctores, pluribus locis ac temporibus exstitisse [8].

Eodem tempore vigebat *Musonius Rufus*, eques romanus, Tusci generis et stoicæ disciplinæ [9]. Eum quoque adolescentium optimus quisque, et principes Musonius stoicus.

[1] Sermo 8. — Transtulit e græco Gesnerus.
[2] Tac. *Ann.* XVI, 34.
[3] Arrian. I, 25.
[4] Philostr. V, 19; — VI, 31, 33.
[5] Hanc scripsit Apollonius Demetrio epistolam : « Δίδωμι σε βασιλεῖ Τίτῳ διδάσκαλον τοῦ τῆς βασιλείας ἤθους, σύ δ' ἀληθεῦσαι τέ μοι πρὸς αὐτὸν δίδου, καὶ γίγνου αὐτῷ πλὴν ὀργῆς πάντα, ἐῤῥώσω. » (Philostr. VI, 33.)
[6] Sueton. (Vesp. 13.)
[7] Advers. indoctum, 19, De saltatione, 63.
[8] Brucker, t. II, l. I, ch. II, sect. 2.
[9] V. Burigny tractat. (Acad. Inscript. XXX.)

viri coluere; eum Rubellius Plautus, cum mortem constanter opperiretur, una cum *Cærano*, græci generis philosopho, secum habuit[1]. Pauca de ejus vita, plura de scriptis a veteribus tradita tenemus. Hunc dicunt publicis munitionibus præfectum fuisse; et cum in insula Gyaro, Neronis jussu, exsularet, puteum ibi fodisse, quamvis adhuc humore omni et fontium aqua terra ea caruisset[2]. Tradit Tacitus eumdem sese miscuisse legatis quos senatus ad Antonium, flagrantibus civium bellis, miserat, permixtumque manipulis, bona pacis ac belli discrimina inter armatos disseruisse, et in eo fuisse ut, proculcatus propulsusque, a militibus infensis, ob intempestivam sapientiam, cæderetur[3]. Postquam, rebus compositis, Domitianus Romam ingressus est, egit Musonius in senatu adversus P. Celerem Egnatium, cujus indicio Boreas Soranus interfectus erat[4], damnatique Publii laudem tulit[5]. — Hæc de vita; sed multos egregiosque libros ab eo græce conscriptos esse constat. Auctor est S. Justinus Musonium præclare de moribus disputasse; eum Origines pro perfecto sapiente habet et eodem ferme in numero ac Socratem ponit[6]. Nec mirum, si fragmentis, a Stobæo collectis, attendi-

[1] Tacit., *Ann.* xiv, 59.

[2] Burigny. Paulo post Senecæ mortem, in exsilium ejectus est. « Verginium Flavum et *Musonium Rufum claritudo nominis* expulit : nam Verginius studia juvenum eloquentia, Musonius præceptis sapientiæ fovebat. » (Tac. *Ann.* xv, 71.)

[3] Tacit. *Hist.* iii, 81.

[4] Ann. xvi, 32.

[5] Hist. iv, 40. Egnatius a Demetrio cynico defensus fuisse videtur. Nam Tacitus : « Justum indicium explesse Musonius videbatur, diversa fama Demetrio cynicam sectam professo, quod manifestum reum ambitiosius quam honestius defendisset. » Is autem Egnatius auctoritatem stoicæ sectæ præferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus. (Ann. xvi, 32.)

[6] Adv. Cels., l. III.

mus. Nam Stobæus ex Musonii libris plurima et longi tenoris excerpit, qualia solet a clarissimis philosophis depromere. Non abs re videtur quædam ex iis huc afferre.

Divitias et supellectilem auro et argento gravem, nimiumque vestis cultum carpebat Musonius, et postquam confirmaverat argumentis rem esse non modo supervacuam, sed noxiam corpori, quod satius esset algori et calori assuefacere quam mollitia effeminare, hoc addebat : « Quanto præclarius est multos beneficiis af-» ficere quam splendide habitare ? Quanto etiam *con-» venientius viro integro sumptus facere in homines » quam in ligna et lapides ?.... Quem vero tantum » fructum ceperit quisquam ex amplitudine et pul-» chritudine domus quantum perciperet liberaliter ci-» vitati et civibus e bonis suis impertitus*[1] *?* »

Vetabat ne quis *rem venerem* cum maribus haberet, ne adulterium cum ancilla aut ingenua faceret, neve cum iis quæ prostarent misceretur : libidinis usum nunquam nisi in conjugio, ob liberos procreandos, licitum esse. De hominibus qui nihil mali admisisse existimant, quod clam et impune peccaverint, hoc dicebat : « *Qui peccat se corrumpit, et se injuria af-» ficit, nam fit deterior et magis infamis*[2]. » — Ju-» bebat *Philosophum matrimonio indulgere et ducere » uxorem*. Nam philosophum, magis quam quemquam, » decet naturæ convenienter vivere : quid autem na-» turæ convenientius quam ducere uxorem et liberos » educere, quoniam sic genus humanum ab interitu per-» petuo vindicatur ? Quænam vero arctior et dulcior ami-» citia quam viri et conjugis ? Cujus enim absentia adeo » desiderabilis est quam viri uxori, et uxoris viro ? Aut

[1] Serm. I. — E græco vertit Gesnerus.
[2] Serm. VI.

» cujus præsentia magis idonea fuerit ad levandam tristi-» tiam, vel augendum gaudium, vel calamitatem miti-» gandam?... Neque pater aut mater prudens plus se a » liberis diligi requirunt quam conjuges quibus cum » nupti sunt. Quin etiam ex historia patet quanto major » sit uxoris in maritum amor quam parentum erga li-» beros.... Erras ergo, o juvenis, quum dicis philoso-» phum a nuptiis impediri[1]? » — In uxore non formam, neque pecuniam quærendam, sed corporis firmam valetudinem et veras animi virtutes. Arctissimam cum ea esse amicitiam et societatem oportere, haud aliter ac si uno corpore unaque mente uterque constaret. « Nam » quid indignius quam cum corpus quidem contuber-» nio utitur, mens vero foris habitat[2]? » — Quamplurimos educendos esse et instituendos liberos dicebat, et in istud patrum genus invehebatur qui liberorum novissimos aut exponebant, aut cædebant, quo ceterorum res auctior foret. « Nonnulli homines, quod mihi gra-» vissimum esse videtur, audent liberos novissime natos » non educare ut qui prius nati sunt ditiores fiant. Ita » per nefas et cæde fratrum opes suis liberis parant, » occidendo fratres ut ceteri patrimonium amplius ha-» beant. Næ illi non intelligunt quanto sit potius multos » habere fratres quam multas pecunias!.... Ego sane » felicissimum esse judico illum qui in magno et con-» cordi fratrum numero vitam degit, eumdemque Deo » charissimum[3]. »

Multum ad philosophandum interesse contendit *quo quis victu* utatur. Qua de re cum sæpe dissereret, ita censebat : Primum, terræ frugibus vesci oportere, et

[1] Serm. LXV.

[2] Serm. LXVIII.

[3] Serm. LXXIII et LXXXII. — Eodem sensu Sotion : φιλάδελφον καὶ πένητα λέγεσθαι κρεῖσσον, ἢ μισάδελφον καὶ πλούσιον. (Serm. LXXXII.)

iis quæ non coctæ eduntur; deinde, vel oleribus igne coctis; at carne animalium esse abstinendum, aut si quis eam appeteret, ferinam potissimum sectandam. Quicumque autem non carne vesceretur, illi mentem puram et siccam, lucisque simillimam ad deos evasuram [1].

Necnon de *pilorum tonsura* dicebat : Fœminei moris esse, non virilis, calamistris capillum inurere aut quovis pacto fingere; philosopho convenientissimum, *crinem tondere* qui plerumque sit impedimento, barbam vero producere [2].

Exsulare vero non malum est, quoniam ubique sole, cœlo, sideribus, hominum etiam societate utimur, ac mundus viro sapienti vere patria est. Deinde, in exsilio valetudo sæpe corporis et animi robur comparantur [3].

Pigebat Musonium umbratilis illius disciplinæ qua magistri utebantur, ut discipulos informarent ad philosophiam : non vere philosophos esse dicebat qui in scholis, in foro, in circulis urbanis de sapientia disputantes, ingenium semper exercerent, corpus vero torpere sinerent. Quanto satius est res non dissociabiles miscere, corporis exercitationem et meditationem animi? Igitur philosophum maxime decet *agrum colere, pecuariam facere, terramque aratro vertere*. Quid impediat quin discipuli illum videant labore corpus exercentem et re, non verbo, philosophantem [4]?

Interrogabatur Musonius num philosopho liceret eum in jus trahere a quo vim aut convicia tulisset? Nullo modo, inquit; nam qui verberatur, aut ludibrio habetur, is neque malum accipit, neque ullum ipse admittit. Cum autem philosopho summa in hoc posita sit ne quid

[1] Serm. XVII.
[2] Serm. VI.
[3] Serm. XXXVIII.
[4] Serm. LIV.

prave faciat, quid illius refert quod sputa aut contumelias passus sit? Igitur, Socratis et Phocionis exemplo, *quodcumque acciderit, leni et placido animo ferat*[1].

Postremo, ne rem longius traham, hæc sententia finem faciet. — Pater quidam filio interdixerat studio philosophiæ. Hic, cum a Musonio peteret quid esset agendum, ille respondit : « Sive pater, sive magistra-
» tus, sive dominus mala, injusta, turpia imperet, qui
» iis non obsequitur, non inobediens est, neque quidquam
» injuste aut perperam facit. Pater tuus *tibi philosophia*
» *interdixit*; at *Jupiter te philosophari jubet*. Ergo,
» cum patri obtemperando hominem sis secuturus, phi-
» losophando autem, Jovem, tibi præstat philosophari
» quam abstinere a philosophia. Quamvis te pater
» tuus carcere inclusum vinculis oneret, animus liber
» manebit, animo autem philosophamur [2]. »

Alter Musonius.

Habes fere Musonii doctrinam, qualis certe ex fragmentis operum ejus ac veterum testimoniis exprimi potest[3]. Fuisse alterum, eodem tempore, *Musonium cynicæ sectæ professorem* sunt qui contendant, licet Suidas neget [4]. Philostratus auctor est cynicum illum, Babylone oriundum, a Nerone in exsilium ejectum fuisse, et cum operis conductitiis missum, ut Isthmum foderet [5]. Si Philostrato credis, non ex facili erit inter fragmenta illa discernere quæ stoico, quæque cynico sint adjudicanda.

Musonius Rufus Epicteti magister fuit. Ideo aliqua ejus dicta ab Epicteto et Arriano servata sunt. Quæ e

[1] Πράως καὶ ἡσύχως οἴσει τὸ συμβάν. (Serm. 19.)

[2] Serm. 77.

[3] Sunt etiam apud Stobæum alia ejusdem dicta, sed non ejusdem ponderis, quæ omisimus (V. serm. 18, 46, 1, 11, 7, 6, 83, 116.)

[4] Philost. v, 19.

[5] V. Burigny.

græco, cum paucissima sint, invertimus ut Stobæanis fragmentis addantur.

Cum Thraseas Musonio dixisset : Malo hodie mori quam cras exsulare, Musonius respondit : Si mortem optas, ut graviorem, minus recte dixisti; sin ut leviorem, quis tibi optionem dedit? Disce lætari iis quæ tibi data sunt [1]. — Epictetum forte objurgaverat quod is in disputando parum apte concluseque diceret. Num forte, Epictetus ait, Capitolio faces subdidi? — An ille, puer, inquit Musonius, qui Capitolio non subdit faces, continuo crimine omni caret [2]? — Idem quo certius adolescentium indolem pernosceret, cum se magno sapientiæ studio teneri affirmarent, eos ab incepto deterrere solebat; itaque, si quis, illo dehortante, tamen propositi tenax pergeret ad virtutem, hunc pro spectato ac probato habebat [3].— Occiso Galba, aliquis de turba Musonium compellans : « Num forte etiam nunc, inquit, aliquam Deorum esse Providentiam contendes? — An forte, respondit ille, Galbæ auxilio unquam usus sum ut Providentiam esse probarem [4]?

Ex iis, quæ de Demetrio ac Musonio attulimus, patet utriusque doctrinam eamdem fere fuisse quam Sextii, Attali, Sotionis, Fabiani, et Senecæ disciplinam. Eorum omnium instituta pariter habere mihi videntur aliquid forte et virile, simul in homines mite, erga Deos pium, et in eo quod ad mores spectat, summam prudentiam ac solertiam.

Nondum de *Julio Cano* diximus, fortissimo viro, qui a Caio Cæsare interfectus est. Nihil de hoc compertum, nisi quod Seneca in loco notissimo memoravit : **Canus Julius.**

[1] Arrian. I, 1.
[2] Arr. I, 7.
[3] Arrian. III, 6.
[4] *Ibid.* III, 15.

« Canus Julius, vir imprimis magnus, cujus admirationi ne hoc quidem obstat quod nostro sæculo natus est, cum Caio diu altercatus, postquam abeunti Phalaris ille dixit, « ne forte inepta spe tibi blandiaris, duci te jussi : » « Gratias, inquit, ago, optime princeps..... » Ludebat latrunculis, cum centurio, agmen periturorum trahens, illum quoque excitari jubet. Vocatus, numeravit calculos, et sodali suo, « vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse. Tum annuens centurioni : « Testis, inquit, eris, uno me antecedere... Tristes erant amici, talem amissuri virum. Quid mœsti, inquit, estis? Vos quæritis, an immortales animæ sint; ego jam sciam... Prosequebatur illum philosophus suus; nec jam procul erat tumulus, in quo Cæsari Deo nostro fiebat quotidianum sacrum. Quid, inquit, Cane, nunc cogitas? aut quæ tibi mens est? Observare, inquit Canus, proposui illo velocissimo momento, an sensurus sit animus exire se. Promisitque, si quid explorasset, circumiturum amicos, et indicaturum quis esset animarum status. » — Ecce in media tempestate tranquillitas; ecce animus æternitate dignus, qui fatum suum in argumentum veri vocat; qui in ultimo illo gradu positus, exeuntem animam percontatur : nec usque ad mortem tantum, sed aliquid etiam ex ipsa morte discit. Nemo diutius philosophatus [1]. »

Metronax. Seneca narrat in Epistolis se Neapoli in schola *Metronactis* philosophi sedisse, et de ejus morte paulo post queritur. Hoc tantum, nec quidquam addere potuimus [2].

Moderatus. Eodem tempore, *Moderatus* quidam, Gaditanus, scripserat undecim libros de pythagoricis placitis. Lau-

[1] *De tranq. animi*, c. XIV.

[2] Ep. LXXVI et XCIII.

datur a Porphyro, Origene, Iamblicho[1]. Ejus frater, Lucius nomine, a Plutarcho memoratur[2].

Apud Suetonium legitur cynicum quemdam, nomine *Isidorum*, Neroni convicium fecisse, cum eum in trivio quodam obviam haberet[3]. Ipsum accepimus a Tacito Neronem philosophos nonnunquam ad se vocare solitum, cœnaque peracta, eorum disputationibus delectari, haud aliter ac Tiberius grammaticorum certaminibus gaudebat[4].

Cornutus, aut quisquis Persii vitam scripsit, *Claudium Agaternium*, medicum, et *Petronium Aristocratem*, Persii amicos, *acriter* tunc *philosophatos* esse memorat.

Ex libro *Petronii Arbitri*, Epicurei, has excerpam sententias, memoratu haud indignas : « Amici, inquit » (Trimalchio), et servi homines sunt, et æque unum » lactem biberunt, etiamsi illos malus Fatus oppresserit : » tamen, me salvo, cito aquam liberam gustabunt. Ad » summam, omnes illos in testamento meo manumitto. » — Alio loco : « Corculum est quod homines facit, et » cetera quisquilia omnia. » — « Nemo, inquit, nostrum » non peccat ; homines sumus, non Dii[5]. »

Lucilius Junior, cui contigit a Seneca diligi, libros de philosophia scripserat, et carmina[6]. Si quid amico Lucilius Junior.

[1] V. Bruck., t. II, l. I, ch. 2, sect. II, § 6.
[2] In serm. convivalibus, c. 7.
[3] Suet. in Nerone XXXIX.
[4] « Etiam sapientiæ doctoribus tempus impertiebat post epulas, ut contraria asseverantium discordiæ eruerentur : nec deerant qui ore vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent. » (*Ann.* XIV, 16.)
[5] Verba Trimalchionis in convivio.

[6] Non est tuum, fortuna quod fecit tuum.
— Dari bonum quod potuit auferri potest (Ep. VIII).

— « Hæc cum descripsisses, quo soles, ore, semper quidem magnus, nunquam tamen acrior, quam ubi veritati commodas verba, dixisti :

Mors non ultima venit, sed quæ rapit ultima mors est (Ep. XXIV).

credis, nihil obstat quin existimes insigne Lucilio fuisse ingenium [1]. Illi certe pro laude sit, talis viri amicitia dignum fuisse. Hoc unum animadvertam, Lucilium latine scripsisse, et id genus dicendi sectatum fuisse quod apud rhetores vigebat [2]. Eum vita et moribus, constantia in periculis, erga sapientiam fide egregium reperio; nam Seneca memorat Lucilium sub Caio Cæsare exsilium, pœnas, tormenta parvi duxisse, quæ optimo ac doctissimo cuique impendebant, et, *pro fide* erga philosophiam *cervicem obtulisse.* Audiendus est ipse Seneca : « Cum cupieris bene laudari (Lucili), quare hoc ulli de-
» beas? Ipse te lauda. Dic : — Liberalibus me studiis
» tradidi, quanquam paupertas alia suaderet, et ingenium
» eo abduceret, ubi præsens studii pretium est. Ad gra-
» tuita carmina deflexi me, et ad salutare philosophiæ
» studium contuli. Ostendi in omne pectus cadere vir-
» tutem; et eluctatus natalium angustias, nec sorte me,
» sed animo mensus, par maximis steti. Non.... Messala
» et Narcissus, diu publici hostes antequam sui, pro-
» positum meum potuerunt evertere. *Cervicem pro fide*
» *opposui.* Nullum verbum mihi, quod non salva con-
» scientia procederet, excussum est. Pro amicis omnia
» timui, pro me nihil.... Periculis meis major, paratus
» ire in ea quæ minabantur, egi gratias fortunæ, quod
» experiri voluisset *quanti æstimarem fidem.* Non
» debebat mihi parvo res tanta constare. Nec exami-
» navit me quidem diu : neque enim paria pendebant,
» *utrum satius esset me perire pro fide, an fidem pro*

[1] « In medium te protulit ingenii vigor, scriptorum elegantia. » (Ep. XIX.)

— « Quid ingenii iste habuit? quid animi? dicerem, quid impetus? si interquievisset, si intervallo surrexisset. Nunc non fuit impetus, sed tenor, compositio virilis et sancta... Grandis et rectus es; hoc te volo tenere, sic ire... » (Ep. XLVI.)

[2] Ep. C.

» *me....* Videbam apud Caium tormenta, videbam » ignes. Sciebam olim sub illo in eum statum res humanas decidisse, ut inter misericordiæ opera haberetur, » occidi. Non tamen ferro incubui, nec in mare aperto » ore desilui ne viderer *pro fide tantum mori* » *posse* [1].... »

Celeri Senecæ amici

Non est quod dubites quin *Paulinus, Liberalis, Serenus,* quorum nomina operibus suis Seneca adscripsit, philosophiæ studio dediti fuerint et addicti. Idem de *Fabio Rustico* contendam, quem Tacitus tradit cum Seneca amicitia junctum [2]. *Lucanum* poetam nemo est qui neget plurima a stoicis traxisse, et in eo immorandi locus esset, ni res satis clara foret per sese.

Aliorum nomina libris suis Seneca intermiscuit : *Clarani*, qui corpore turpis, formosus animo fuit [3]; *Aufidii Bassi,* qui fractis viribus, vim morbi mortemque constanter tulit [4]; *Marcellini*, egregii quidem adolescentis sed ad voluptates prompti, quem ipse a libidinibus revocatum traduxit ad salutem, quique, hortante quodam Stoico, sibi fatum properavit [5]; denique *Marcelli,* cujus Seneca increpat luctum muliebrem effusumque, amisso filio, dolorem [6].

[1] Quæst. nat. IV, præf.

[2] « Sane Fabius inclinat ad laudes Senecæ, cujus amicitia floruit. » (Tac. *Ann.* XIII, 20.)

[3] « Claranum condiscipulum meum vidi... viridem animo ac vigentem, et cum corpusculo suo colluctantem. Inique enim se natura gessit, et talem animum male collocavit; aut fortasse voluit hoc ipsum ostendere, posse ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere...... formosum mihi videtur, et tam rectus corpore, quam est animo. » (Ep. LXVI.)

[4] Bassum Aufidium, virum optimum, vidi quassum, ætati obluctantem... tamen alacer animo est. Hoc philosophia præstat; in quocumque corporis habitu fortem, in conspectu mortis hilarem lætumque, nec deficientem, quamvis deficiatur. » (Ep. XXX.)

[5] Ep. LXXVII.

[6] Ep. XCIX.

Laudat etiam noster *Pomponii* cujusdam scripta et ex iis hæc verba excerpit : « Itaque hoc quod apud Pomponium legi, animo tuo mandabitur. Quidam adeo in latebras refugerunt, ut putent in turbido esse quidquid in luce est. » (Epist. 3.) De hoc Pomponio nihil satis constat. Nempe non nobis videtur hic idem esse atque Pomponius quidam philosophus qui, postquam comœdias scripserat, necem sibi conscivit, ob nimiam animi corporisque molestiam. Is decessisse *Æclani,* in colonia romana, videtur, ut ex inscriptione in cryptis æclanensibus reperta patet [1].

Non prætermittam silentio *C. Passienum* in detegendis ac sanandis vitiis solertissimum, cujus ea vox : « adulationi fores, velut amicæ. occludendæ sunt [2]; » — *Rubellium Plautum*, ob stoicam gravitatem, Neroni invisum [3]; *Cœranum,* qui morienti Plauto adfuit [4]; *Novium Priscum, Maximum Cæsonium* e cohorte

[1] Hæc est inscriptio : « D. M. M. *Pomponio* M. Filio. M. M. M. Pronepos, M. Abnepos Cor. Bassulo II*vir.* Q. Q. — Ne more pecoris otio transfungerer, Menandri Vorti scitas fabulas, et ipsus etiam sedulo finxi novas ; id quale qualest Chartis mandatum *bv* ; verum vexatus animi curis anxiis, nonnullis etiam corporis doloribus, utrumque ut esset tædio supra modum, optatam mortem sum a... mibi, suo de more cuncta... — Vos in sepulchro... quod sit documento... immodice ne quis vitæ scop... neat, cum sit paratus portus ejac... ibus, qui nos excipiat ad quietem ...em. Sed jam valete, donec vi...,.it. » (Inscript. lat. Heuzen. 5605.) — Credunt hunc Pomponium vixisse post coloniam a Vespasiano Æclanum deductam, nam antea quatuorviris Æclanenses utebantur. Quanquam diximus nobis non videri hunc eumdem esse atque Pomponium illum quem Seneca laudat, tamen addemus non absurdum fore si quis id contenderet.

[2] Quæst. nat. IV, præf.

[3] « Plautum veterum Romanorum imitamenta præferre, assumpta etiam stoicorum arrogantia sectaque, quæ turbidos et negotiorum appetentes faciat. » (Tac. *Ann.* XIV, 57.)

[4] Ann. XIV, 59.

Senecæ[1]; *Paconium*, *Montanum*, Thraseæ Helvidiique amicos [2]. *Thraseas* ipse de *occupanda morte* librum scripserat [3].

Præterea, addamus, si libet, *Marciam*, Cremutii Cordi filiam, patre haud indignam qui, subactis omnium cervicibus et ad Sejanianum jugum adactis, ingenio, animo, manu liber vixit[4]. Habeat locum et *Helvia*, Senecæ mater, in qua non parum studii et doctrinæ, ut in matrona romana, fuit[5].

[1] Ep. LXXXVII. Tac. *Ann.* XV, 71. « Novium Priscum, per amicitiam Senecæ. »

[2] Tac. *Ann.* XVI, 28.

[3] Fabricius, t. III. Index stoicorum.

— « Ego et *Maximus meus* biduum jam beatissimum agimus. »

[4] Cons. ad Marc. I.

[5] *Ad Helv.* XVI. — Perlegimus etiam *Inscriptiones* regni Neapolitani quas edidit accurate et splendide *Theodorus* Momsenius, necnon et inscriptiones latinas, jam diu notas, quas *Orellius* ac *Heuzenius* in ordinem digessere : at nullum reperimus philosophum qui his temporibus certo adscribi posset. Hæ sunt enim inscriptiones quæ nobis memoratu haud prorsus indignæ visæ sunt.

1° De philosopho *epicureo*, e græcis.—Inscriptio græca quæ olim fuit Brundusii ante fores ædium Diomedis Ceteniani medici : « Εὐκρατίδας Πεισιδάμου, ῥόδιος, φιλόσοφος ἐπικούρειος, τὸν τόπον τῆς Βρενδησίνων βουλῆς εἰς ταφὴν ψηφισαμένης. » — Quando vixerit iste, incertum [1].

2° De philosopho stoico, e latinis. — Inscript. lat. Romæ reperta. — « *C. Tutilio Hostiliano, philosopho stoico, domo Cortona, patri optimo, C. Tutilius Justus filius, Tutilia quinta, Tutilia quarta, filiæ.* » — Hic etiam de ætate, nihil [2].

3° De philosopho Epicureo, e latinis. — « *Somno æternali C. Matrinii, Philos. Epic. — Vixit ann.* XXXIX, *menses* VI, *dies* VII, *horas* VIII. — *Matrinia conjugi infelicissima,* etc.[3]

4° Inscript. Neap. repert.

Stallius Gaius has sedes havranus tuetur
Ex Epicureio gaudivigente choro [4].

5° Ecce alia inscriptio in provinciis reperta : « *Quinto Ælio Egrilio Evaretophilosopho, amico Salvii Juliani, Ælia Timoclea uxor cum*

[1] Momsenius.

[2] Orellius, 1191.

[3] Id. 1192.

[4] Id. 1193.

Cur sapientiæ studium tunc concidere visum sit.

Quanto in honore esset, tunc temporis, philosophia, quam multi et clari philosophi e contubernio magistrorum, de quibus diximus, prodierint, illa tot ac tanta nomina abunde confirmant. Quanquam non negaverim, sub finem Neronis principatus, ardorem hunc animorum et honestissimum juventutis ad liberalia studium concidisse, et scholas, modo maxima celebritate nobiles, pœne desertas fuisse. Nempe, mutatam in pejus civitatem testatur ipse Seneca, qui queritur quod, se jam sene, derelicti in angulis sedeant magistri, et fere omnes philosophorum sectæ exstinctæ sint. « Cessat, inquit, omne studium, et liberalia professi, sine ulla frequentia, desertis angulis præsident. In rhetorum ac philosophorum scholis solitudo est : at quam celebres culinæ sunt, quanta circum nepotum focos juventus premit[1] ! » — « Quis philosophiam aut ullum liberale » respicit studium, nisi cum ludi intercalantur, cum » aliquis pluvius intervenit dies, quem perdere licet? » Itaque, tot *familiæ philosophorum sine successore* » *deficiunt. Academici et veteres et minores nullum* » *antistitem reliquerunt. Quis est qui tradat præ-* » *cepta Pyrrhonis? Pythagorea illa invidiosæ turbæ* » *schola præceptorem non invenit, Sextiorum nova,* » et *Romani roboris, secta, inter initia sua, cum* » *magno impetu cœpisset, exstincta est.* At quanta » cura laboratur, ne cujus pantomimi nomen inter- » cidat! Stat per successores Pyladis et Bathylli domus :

filiis. » (Repert. Vesselingii, prope Bonnam.) — Certe hic Græcus fuit, sicut et Stallius, ut opinor. Quidam censent huic Evareto amicum fuisse Salvium illius Salvii Juliani filium qui edictum perpetuum ordinavit. Vero accedit Evaretum inter cormites Salvii fuisse, cum is, ut tradit Dio, exercitui cuidam præerat, anno quo M. Aurelius Imperator decessit. (Heuzenius, 5600).

6° Est et alia inscriptio de Pomponio quodam quam supra attulimus.

[1] Ep. xcv.

» harum artium multi discipuli sunt, multique doc-
» tores... Philosophiæ nulla cura est[1]. » — Fessus igitur, ut solet, humanus animus, et miseriis, quæ, Nerone sæviente, in optimum quemque ingruere, quasi perculsus ac prostratus[2], paulisper a studio sapientiæ interquievit, donec fractas vires natura resumeret et nova produceret ingenia. Mox enim, sapientiæ studium, per aliquos annos intermissum aut remissum, redivivo impetu, exsurrexit, affluentibus perpetuo Romam ex omni orbis parte magistris, atque ubi lætiora tempora se dederunt, ætas quæ secuta est nec infecunda nec ingloria fuit.

Hæc autem demonstrare institueramus.

Primum, Multos, ineunte Cæsarum principatu, insignes genere, ingenio, gratia ac potentia viros philosophiæ studuisse : quod, allatis poetarum operibus, scriptoribusque rerum romanarum in testimonium rei adhibitis, confirmavimus.

Deinde, Scholas Romæ complures, et magna celebritate nobiles, institutas fuisse; Doctoresque sapientiæ clarissimos, cum maximo concursu et hominum adolescentium favore, philosophiam, admisso populo, docuisse : inter quos Sextios, Sotionem, Attalum, Fabianum eminuisse ostendimus.

Præterea, Romanam fuisse philosophandi rationem, quæ, cum doctrina præceptisque Græcorum constaret, tamen Romanorum mores, studia, instituta vitæ, eloquentiam referret : cujus rei argumenta, ex operibus

[1] *Q. nat.* VII, 32.

[2] Vide post Senecæ mortem, *Ann.* XV, 71. — « Trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit, interfecto Thrasea Pœto et Barea Sorano. » (*Ann.* XVI, 21.)

M. Tullii Ciceronis, deinde ex iis quæ de magistris tunc vigentibus memorantur, denique ex ipsius Senecæ libris, attulimus.

Postremo, Annæum Senecam, Aulum Persium, ceterosque ejusdem ætatis philosophos plurimum illis magistris et scholis debuisse, contendimus.

FINIS.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. non. jul. an. M DCCC LVII,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J.-Vict. Le Clerc.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis rector,

Cayx.

INDEX.

FINIS INDICIS.

640

m



Saint-Cloud. — Imp. de Mme Ve Belin.





